
BIBLIOTECA
NAZIONALE
VITTORIO
EMANUELE
6
7 A
43

ANTONI MATTHÆI JC.

ORATIONES.

Quarum pleræque continent

Argumentum Juridicum.

Accedit ejusdem

POËMA INAVGV

Edente

ANT. MATTHÆO A. F. A. N.



ULTRAJECTI,

Typis *Theodori ab Ackersdijck & Gisberti à Zijll,*

M. DC. LV.



NOBILISSIMO,
AMPLISSIMOQUE SENATUI INCLUTÆ URBIS
RHENO-TRAJECTINÆ
HAS ORATIONES
V. CL.
ANTONII MATTHÆI
D. D. D.
FIL. EDITOR.





Vestræ, ut par est, jussioni, VENERANDI PATRES, morem gerentes, Orationes parentis (heu quondam nostri) nunc in lucem edimus, vestroque nomini inscribimus. Grato quippe animo agnoscimus, quan-

tum debeamus veſtris in nos meritis, quibus magis obnoxios effeciſtis, quàm ut verbis gratias agere poſſimus. Ut autem amplius pateſcat, quantopere optimus parens veſtro quoque honori ſtuduerit; noſtri officii eſſe duximus, etiam ejuſdem Poëma, in laudem Urbis & Academiæ veſtræ ſcriptum, evulgare. Quod ne operis ſeriem turbaret, ad calcem adjecimus. Orationes verò eo ordine diſpoſuimus, quo à parente publicè habitas, temporum nobis ratio perſuaſit: & ſingulas quidem ab ipſo jam ante publicatas, cum MS. contulimus, typothe-

pothetæ erratis, quæ irrepſerant, ſublatis; reliquas verò in lucem damus, quales in arcula remanſere. Non pauca fortaſſis in iis erunt, quæ reprehendant alii; ſed quis neſcit, omnibus ad omnia placere, ſupra hominem eſſe? Haut dubiè, ſi longior parenti vita contigiſſet, alia prorſus facie, alio nitore, prodirent. Quod cum *fatorum* iniquitas prohibuerit, tantò vos impenſius, Patres Reverendi, rogamus, ut opuſculum hoc poſtumum, quod ipſimet in publicum evocaſtis, ab atro lividorum dente illæſum atque intactum conſervare, noſque

noſtraque omnia Ampliſſimi nominis veſtri patrocinio protegere velitis. Dab. Trajecti ad Rhenum, VIII. Kal. Septemb. Anni M. DC. LV.

AMPL. VESTRAE

Addictiſſimus

ANT. MATTHÆUS A.F.A.N.

ORATIONUM argumenta.

XIV. *Pro*



ANTONII MATTHÆI

ORATIO I.

Habita in Illuſtris Gymnaſii Ultraject. Inauguratione,

DE

Iuris Civilis ſapientia contra ejus obtrectatores.

QUOD precatus ſum à Deo immortali, tum cum à delegatis inclytæ hujus civitatis ad honeſtiſſimam juris docendi functionem evocabar; uti ea res Senatui Pop. Q. Ultrajectino bene atque feliciter eveniret: idem precor ab eodem Deo immortali hoc die, quo more inſtitutoque literario auſpicia novi muneris capienda mihi ſunt. Neque repetere ſæpius id votum pigebit; neque ſi repetiero, ut boni laudent metuam. Nam ſi illa ſolennis precatio eam in ſe

habet vim & religionem, ut omiſsâ ne minutarum quidem rerum proventus ſperetur; quanto minus neglectâ maximarum rerum meſſis ſperanda eſt? Et ſi modicis quoque negotiis fortunandis crebrum dicimus Feliciter; quoties quantumque vobis, Senatores prudentiſſimi, dicendum erit, inter initia rei tam pulchræ, tam præclaræ, ut vel invidia judice æternitatis memoriam cum præclariſſimis mereatur. Cum enim reliquorum mortalium, qui cum re potentiam conjunxerunt, ea plerumque libido ſit, ut divitias quas honeſtè habere poterant, aut luxu vexent, aut turpiter flagellent: veſtra diverſa ratio eſt, qui opes, quas fortuna vobis dedit, per gloriam poſſidere, quam per ludibrium abuti mavultis. Cumque ea ſit vulgi exiſtimatio, Muſis atque Marti nullum eſſe commercium; ſilere leges inter arma, nec Themin audiri inter militum clamores: vos non commercium tantum, ſed & conjunctionem, & neceſſitudinem ſummam oſtenditis; qui cum Deum colitis, tum in fide ejus atque tutela Deas eſſe vultis, ut conjuncta numina mutuis auxiliis juventur ornenturque: Dearum quies defenſione Martis: virtus Martis ſtudiis Dearum. Qua in re
credo

credo secuti estis, non tantùm Fulvii illius Nobilioris vestigia, qui primus novem Camœnarum signa ex Ambraciensi oppido translata sub tutela Herculis consecravit: sed & multorum laudatissimorum principum exemplo provocati estis; qui ut haberent Rempubl. non solum armis decoratam, verum etiam sapientię studiis armatam, utriusque militiæ, tam sagatæ, quàm togatæ scholas aperuerunt. Illud autem præcipuum habetis, quod non modò conjunxistis cum sago togam, sed conjunxistis eo tempore, quo sagatos magis quam togatos Respub. flagitare videbatur. Hoc vobis fama imputat, nec laudis consortio nisi fœderatos dignatur; qui sæviente crudelissimi belli tempestate, inter armorum strepitus, & buccinarum cantus ita Marti operabantur, ut Astrææ quoque & Musis templa dedicarent. Hanc primi sibi gloriam Batavi peperêre: dein Frisii: secuti Gelri; nec desperavere Trans-Isalani. Coronam studiis vestrum imponit Lyceum, cui recentibus auspiciis nascenti ea rerum incrementa precor, ut cum tempore inter novissima sit, fama & numero in primis habeatur. Annuat Deus immortalis precibus, & faxit uti Senatus mentes atque senten-

tiæ cum populi Ultrajectini voluntate ſemper conſentiant; eaque res Senatui Pop. Q. Ultrajectino gloriam, Scholæ quietem & tranquillitatem ſempiternam adferat. Verùm enimverò, quia video, præter ſolennes acclamationes illud quoque uſu communi receptum eſſe, ut homines quibus docendi provincia data eſt, de rebus ad eam pertinentibus ante dicant quam doceant; ne ab eorum inſtituto deſciviſſe videar, ab ominationibus ad argumentum tranſibo. In quo quidem ſumendo, cum ſcrutarer eorum veſtigia, qui ante me eadem factitarunt, non unam omnibus rationem conſtitiſſe deprehendi. Quidam enim de rebus ad ſtatum Reipubl. pertinentibus differunt: alii in juris civilis laudes effunduntur: plerique de ſtudio ejus rectè inſtituendo deliberant Ego nihil præſenti inſtituto convenientius facere me poſſe exiſtimavi, quam ſi civilem Romanorum ſapientiam, cujus me profeſſorem Senatus eſſe voluit, à malevolorum obtrectationibus vindicarem: non quod ingenium argumento par eſſe putarem; ſed quod fides id à me flagitare videretur. Si enim oratores & advocati ſui putant officii, in cauſis capitalibus etiam

alieniſſimos defendere: flagitium ſit ingens, eam non defendere, cui fidem dederis; quaque defenſa non tam laudem meruiſſe, quam culpa caruiſſe videare. Ante verò quam adverſariis me comparem, vos A. O. rogo; primùm quidem ut paventem inſolentia loci animum meum ſerenitate vultus veſtri erigere, dein aures vacuas, animoſque æquos ad breve tempus commodare velitis; ut depulſis veſtro favore calumniis, facilius patere poſſit, ſolam Romanorum ſapientiam dignam eſſe, cujus ſacra in civitate ſint. Atque initium dicendi facturus de dignitate hujus ſtudii nihil præfabor: tametſi enim ad cauſam utiliſſimum, ad gloriam pulcherrimum foret, ſcientiam pulcherrimam dictis exæquare; tamen quia ſentio me parem ad res dicendi vim adferre non poſſe, ſilere ſatius arbitror quã pauca dicere. Verùm recto gradu ad eos accedam, qui novæ neſcio cujus ſapientiæ ſtudiis mancipati, priſcam illam, quam & antiquitatis veneratio, & Romani nominis majeſtas, & ſua ipſius pulchritudo commendat, è medio ſublatam cupiunt. Hi cum viderent in univerſum culpari non poſſe, quod tot argumentis, tantis auctoribus defenditur, particulas quaſdam ejus vel-

licant, quibus avulſis aut fœdatis totum fœdari neceſse ſit. Ex partibus autem juris civilis quæ pro amplitudine ejus multæ ſunt, cum alias miſerè lacerant, tum illam quæ de teſtamentis eſt impensè vexant: tanquam ſit & rationi, & utilitati inimica; perennis litium fons, & prodiga forenſis improbitatis nutrix. Primùm quidem mirantur, quæ tanta fuerit Romanis legumlatoribus cauſa, cur teſtandi libertatem infinitam eſſe voluerint; cur neceſſitatis tantæ, ut paulo minus ſtulta quorumlibet judicia de rebus ſuis legibus æquarent: cum ratio naturalis dictare videatur, heredem defuncti eſſe debere, non quem maleſano teſtator voto concepiſſet; ſed quem ſanguinis proximitas ad gentis pecuniam vocaret. Dein execrantur immenſas illas ſcriptiones, & operoſa volumina, de inſtitutionibus & ſubſtitutionibus heredum, de jure adcreſcendi, de conjunctionibus rerum & verborum, de quarta Falcidia, S^to. Trebelliano & Pegaſiano; quibus tanquam difficillimis nugis, & quadrifariam ſectis pilis juventutem teri, ingenia vexari queruntur. Rectius ſuis à majoribus proviſum autumant, qui omnem iſtam incendii materiam & diſſidioſam farraginem

nem uno ictu præciderint, cum testandi facultatem in totum sustulissent, & felici invento ac usu sanxissent, ut qua quisque lege familiam acceperit, eadem genti posterisque transmittat. Sentio hac in parte cujusmodi cum hominibus mihi res futura sit: nempe non ejusmodi solùm, qui præter nocendi voluntatem in rem præsentem adferre nihil possunt; sed & iis, qui cum nocendi proposito literas & facundiam conjunxerunt; uti planè quemadmodum ille ad evertendam Remp. ita hi ad impugnanda testamenta sobrii accessisse videantur. Nec tamen congressum eorum abnuerim, quanquam impar facundia: nec metuam ut superior sim, tametsi & ætate, & usu inferior: quandoquidem non omnia in eloquentia sita sunt; est quædam tamen ita perspicua veritas, ut eam infirmare res nulla possit. Quid enim est, quod tantopere mirantur illam testandi libertatem, & æquatas legibus defunctorum voluntates? usque adeò aut ratione destituitur, aut exemplo perniciosa est? Profectò, nisi vehementer erro, nihil rationi magis consentaneum, nihil in publicum utilius. Siquidem hoc natura comparatum est, ut de iis rebus, quarum quisque jure gentium aut jure civili do-

li dominus factus eſt, ſtatuere pro arbitrio quod lubet poſſit: ne ſi ſtatuendi facultatem denegemus, non tam dominum quam uſufructuarium faciamus. Atque hoc uti natura comparatum eſt, ita apud omnes, etiam eos qui teſtamenta damnant in confeſſo eſt, dominium nihil aliud eſſe, quam de re quod lubet ſtatuendi poteſtatem: ſuę quemque rei eſſe moderatorem & arbitrum; nec culpam præſtari niſi in aliena; nec rationem reddi, niſi ſit fidei noſtræ commiſſa. Dominus ergò ne adverſariis quidem abnuentibus, ſtatuere de re ſua quod libet poteſt: Inter vivos tantùm, an & ultima voluntate? vivus valenſque, an & moriturus? quid eſt, quod hac tandem de re vobis poſſit videri? Inter vivos credo dicent qui non animadvertunt, imperfectum futurum eſſe dominum, quod integra lege habere non licet: prægraue fore patrimonium cui hoc adjunctum odium eſt, ut denegata teſtandi facultate certa & immota lege proximis perſonis derelinquendum ſit. Quantulum eſt enim inter vivos ſtatuere poſſe, ſi non liceat idem ultima voluntate? Vivis neque curæ, neque commodo eſt de rebus ſuis cernere, aut aliis mancipio bona dare: ne ſi dederint, exuti fortunis ipſi ſibi funus faciant,
&

& vivi videntesque exequias eant: cum non possit non ille mortuus videri, qui antequam vivere desierit, subsidia longioris vitæ sibi subtraxerit. At cum mortalitate jam defuncti sumus, cum unà cum vita depositurì etiam exuvias omnes & fortunas sumus, tum si statuere quod lubet de rebus quisque suis potest, verè nostras, non usu tenus aut fructu fuisse confitebimur. Hoc tempus est quo dominus arguitur! Hæc dies illa cujus arbitrio herus censetur! qua si cernere cum libet non licet; frustra licet, cum neque sanis libet, neque stultis expedit. Cur datur quod accipientibus in exitium vertit? Cur negatur quod requirentibus saluti est? Ea beneficii lex est, ut indigenti detur; datumque juvet, non opprimat: Secus perdet nomen quod fructu caret; aut intempestivè sumtum perniciem adfert sumentibus. Quid? quod ex servitute trahit aliquid non posse statuere supremis tabulis? neque plenæ libertatis argumentum est heres ille necessarius & inevitabilis? Notum est cujusmodi olim Latinorum Junianorum & dedititiorum fortuna fuerit: qua lege testamenti factio denegata fuerit iis, qui nõ justam & plenam consecuti forent ex jure Quiritium libertatem. Vivebant ut

liberi; moriebantur ut servi: vivi res suas utcunque administrabant; mortui non quem tabulis probassent, sed quem lex dedisset heredem habebant. Haud multo pensior est eorum conditio qui testamenta damnant: Et hi ut liberi vivunt; propemodum ut servi moriuntur: superstites utcunque bona disponunt; morituri non judicio successorem probant, sed legis arbitrio capiunt. Quod si rectè Justinianus Imperator utramque illam libertatem, & dedititiam & Junianam è civitate sustulit, voluitque eos quibus quoquo modo libertas obtigisset, ejus beneficio plenissimè frui: necesse est illud quoque rectè constitutum dicamus, ut qui dominium habet, plenissimo ejus jure fruatur; nec vivus tantùm valensque, sed & moriturus de rebus suis decernat. Est igitur hæc prima & summa ratio quæ pro testamentis stat, dominipotestas: cui si junxerimus alteram humanitatis & affectus, apparebit quam sit absurdum illud novæ sapientiæ placitum, quo morituris negatur, quæ viventibus conceditur alienandi facultas. Namque valentium decreta unicum ferè dominii argumentum defendit: morientium preces non solùm dominii vis tuetur; sed & invidiosa misericor-

ricordiæ ratio commendat. Hæc postulat liberam esse morituris statuendi de rebus suis potestatem. Hæc flagitat mortalium votis indulgeri, qui pro immortalitate quam se consequi posse diffidunt, hac quasi immortalitatis specie & umbra delectantur, postquam aliud jam velle non possunt, licitum esse supremæ voluntatis stylum; nec impediri ultimum quod non redit arbitrium. Hoc divos se fieri credunt! Hoc qui caruêre, propemodum sine solatio mori sibi visi sunt; cum inter humana non ultimum solatium sit mortis, illa post mortem voluntas. Itaque ergo quoties illas veterum formulas legimus; QUIA HEREDES, QUOS VOLUI MIHI CONTINGERE, HABERE NON POTUI, &c. QUONIAM SINISTRA FORTUNA CAJUM ET LUCIUM FILIOS MIHI ERIPUIT &c. quis nostrum non animo valdè commovetur? quis non communis mortalitatis cogitatione & favet & miseretur? Est enim à natura multum nobis affectus erga morientes datum; quo fit, non tantùm ut deficientium oculos cum fletu condamus, sed & mortuorum memoriam lamentis prosequamur. Ac licet nec Deos manes credimus, nec quid rerum mortales agant

ad mortuos referri ſcimus; nemo tamen quæ moriturus dixerit non meminiſſe, quæ mandaverit non exequi volet, niſi alienum ab omni humanitate & miſericordia ſeſe profiteatur. Neque verò morituris ſolùm favet hæc humanitatis ratio; ſed iis quoque patrocinatur, quos illi heredes ſupremo judicio ſcripſerint. Cum enim affectio animorum, ex qua teſtamenta ſapientes nata credunt, univerſo mortalium generi mutua ſit: cum ſit naturalis & ingenita nobis commendatio, qua oportet hominem ab homine ob id ipſum quod homo eſt, tametſi propinquus non eſt, non alienum videri: facile intelligimus culpandas non eſſe tabulas, quibus extraneus heres ſcriptus eſt: qui licet cognatus non eſt, tamen homo eſt, & communis humanitatis intuitu, non indignus hereditate videri debet. Quod ſi ad humanitatem acceſſerint merita, & multis vitæ officiis qui propinquus non eſt anteverterit proximos, quis culpet, non laudet tabulas, quibus primus amore & meritis antefertur ei, qui ſolo ſanguine & naſcendi ſorte gloriatur? Quippe cum naſci fortuitum ſit, nec ultra æſtimetur: electio & animi judicium optimum quærat & inveniat: qui ſi longo uſu multiſque fi-

dei experimentis fuerit probatus, cur non proximus habeatur morituro, qui amicissimus erat viventi? Porrò quanta in ea re utilitas, posse vel ultimo vitæ momento dignis & benè meritis condignam referre gratiam; quo nisi grati simus, ingratos nos mori necesse sit? Quanta contra indignitas solos propinquos pro nostris, reliquos omnes pro alienis habendos? Et illis quidem etiam nullo suo merito relinquenda bona: his ne optimè quidem meritis heredis tribuendum nomen? Taceo quod industriam languescere, socordiam intendi necesse sit, si lege detur, non testatoris arbitrio hæreditas. Quis enim in hoc tam brevi vitæ curriculo, tantis laboribus frangi? tot curis vigiliisque consumi? toties de bonis tanquam de vita dimicare volet? si cura futuri nobis interdicitur; si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, iisdem domini potestas terminatur; nec successorem habere licet eum, cui assem bonorum ex voto paravimus. Ex his omnibus manifestum est testandi institutum neque rectæ rationi repugnare, neque utilitati inimicum esse. Quid si ad rationem accedat gentium consensus, quantum ponderis

& momenti accessurum putamus? Huic enim consensui illud tributum est, ut quodcunque gentes usu exigente & humanis necessitatibus constituissent, id jus esset; nec minus sacrosanctum & inviolabile haberetur, ac si divina providentia constitutum, aut natura comparatum esset. Circumferamus igitur oculos, lustremus divisas orbe tota gentes, nonne major mortalium pars testamentis gaudent? & quamvis tantis terrarum spatiis disjuncti sint, tamen communi consensu probant supremam illam futuri curam? Ne barbaros moremur, eos solùm intueamur, in quibus non modò fuit, sed à quibus etiam humanitas ad reliquos populos dimanavit. Nonne Græci, tam hi qui Europam, quàm isti qui Asiam incoluere, tametsi legibus, moribus, institutis plurimùm inter se dissiderent, uno tamen animo pro testamentorum auctoritate certavere? Errat quisquis Romanorum inventum putat: etiam ante quam Roma esset, orbis consensu testamenta probabantur. Et ut rectè quidam ex sapientibus nostris opinantur, ante quam Mercurius Ægyptiis, Cadmus Græcis literas ostendissent, jam testamenta & heredes viva voce nuncupabantur? Quod si tempora in

quæ

quæ nos duravimus examinare libet, præter barbaros multos inveniemus consensum Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, togatæ Galliæ, & totius propemodum orbis Christiani. Quibus conjuratis, quid est, quod adversarii opponere possint? nisi ex veteribus Germanos: ex præsentibus aliquos Galliæ, paucos Belgii nostri populos, quibus sui magis animi sensus, quàm reliquarum gentium consensus placuit. Exiguum profectò diversæ sectæ firmamentum. Non enim si testamentis non usa est, aut ne nunc quidem utitur tanti orbis tantilla portio, idcircò putandum est, non esse ea juris gentium. Nam quemadmodum olim inventis à Cerere frugibus, inventi sunt qui, vel quod Deorum munera ignorarent, vel quod usu eorum non caperentur, glande malebant vesci: ita inventis testamentis, quid mirum si Germani usi non sunt? quorum usum aut ignorabant, aut non probabant; iis temporibus, quibus armis magis & fide, quàm humanitate & cultu ante reliquos mortales erant. Postquam cum armorum studio humanitatem & pacis artes conjunxerunt, mutata majorum duritie plerique omnes suprema de rebus suis judicia probant. Quod si hodièque sunt ali-
qui,

qui, tàm à testamentis alieni, ut eos neque ratio, neque utilitas, nec exempla à majorum institutis revocare potuerint; non tamen auctoritatem quam laudavimus ullo modo convellere possunt; cum testantibus faveat potior gentium nationumque pars; quarum conspiratio, ad constitutionem juris satis pollens potensque est: neque paucorum indiget, qui civilem magis & suam, quam communem humani generis utilitatem sequuntur. Quanquam si verum fateri libet, ipsi illi qui testamenta damnant, grande sententiæ nostræ documentum præbeant: Quæ enim damnant, tacentes & inviti laudant, cum partium usum retinent: cum legata atq; fideicommissa codicillis, qui testamenti pars sunt, relinquunt: aut cum naturali ratione unum & simplex esset omnium patrimonium, magno juris ludibrio duplex commenti sunt; alterum mobilium, alterum immobilium rerum: Et prædia quidem cum testantis arbitrio exemissent, de reliquis ratione victi, utilitate expugnati testari permiserunt. Verùm repetunt illi quod ante dixerant, iniquum & indignum esse, ut legitimos quos sanguinis necessitudo ad successionem vocat, scripti heredes extranei excludant; æquum
esse

eſſe ut qua quiſq; lege familiam accepit, eadem ad poſteros tranſmittat. Ut aliquid illis largiamur, concedant nobis viciſſim neceſſe eſt, multo iniquius & indignius eſſe dominum in extremo vitæ conſtitutum, acerba inviſi heredis cogitatione differri; nec poſſe præteritis ingratis, incorrupto judicio quærere digniſſimum cui familiam tradat: cum nihil ſit naturali rationi magis conveniens, quàm voluntatem domini rem ſuam in alium transferre volentis ratam haberi: Atque ut minus id iniquum videatur, cum majorum virtute bona parta ſunt; nemo tamen negabit iniquiſſimum eſſe, quoties res non à majoribus relicta, ſed induſtria defuncti quæſita eſt. Fingamus enim gnavum è plebe hominem, cui natura nil melius quàm ingenium, pater præter libertatem nihil reliquerit; ingenium in quæſtum contuliſſe, libertatem induſtriæ incitamentum habuiſſe; opes ſibi paraſſe ingentes: Inſtare ſeni cognatos, orare, obſecrare, ne teſtamentum faciat: equum eſſe totum quod habet, in familia & gente permaneat. Illum contra: Sua nō gentis bona eſſe, ſuo ſudore & labore parta; à ſe dietas, priſtinū, & horrea ædificata; ſuo impēdio fundos & inſtructos & ornatos eſſe. Æquius eſſe, ut cum nihil re-

relictum, omnia parta; cum liberi nulli ſint, propinqui ingrati, judicio ſibi heredem inſtituat, non legis arbitrio capiat. Hanc poſtulationem quis non aliquanto juſtiorem exiſtimet? Quis non pronis auribus accipiat? Cui autem non exclamare libeat? Euge, Euge, ſenex! facilè palmam habes: vincit tua fabula; victi cognati: quandoquidem & magis ex argumento agis, & verſus meliores funditas. Quid ergo? ſi & hoc iniquum eſt, dominum non poſſe teſtamento hæredem ſcribere; & illud indignum, extraneis ſcriptis cognatum prȩteriri; quid tandem dicemus? num ſecum natura diffidet? num ratio cum ratione pugnat? Minimè verò nam ſi recta lege componantur, non modò nulla diſſenſio, ſed & maxima rationum conſenſio & convenientia parebit. Prima teſtati cauſa eſto, pro qua ſumma ratio militat, ut domino ſtatuere de re ſua quod libet liceat. Secunda inteſtati, ut ſi dominus de re ſua nihil ſtatuerit, tùm ad eos ea devolvatur, quibus cognationis nomen patrocinatur. Nec tamen uſque adeò teſtati cauſa prima & antiqua nobis eſt, ut & ſtulta quorumlibet judicia pro lege habeamus. Suus eſt apud nos ſanguini honos; nec quiſquam impunè aut liberos exhereda-
verit,

verit, aut parentes prætererit: consanguineos quoque turpibus personis anteferimus. Quod ad reliquos cognatos attinet, non jus nobis, sed conscientiæ stimulus dictitat, uti ne bene convenientes postponantur iis, qui nec sanguine, nec ullis officiis aut meritis nos adsecuti sunt. Ut amicis & bene meritis potiores sint, aut eorum causa homini libero, & domino, & morituro testamenti factio adimatur, nulla ratio efficit: quin palàm iniquum & injuriosum est. Siquidem rectè sapientes ita differuerunt: Leviore reprehensione propinquum quàm amicum negligi; quia alterius præteritio iniquitatis, alterius diremtio etiam levitatis crimini subjecta sit: Sanctius atque potentius esse nascendi sorte amicitiæ vinculum, quia possit & malus, & ingratus nasci: ingratus idem atque amicus esse possit nemo. Atquin difficilis, inquiunt, & valdè senticosa est illa de testamentis prudentia: ediscendæ diutius inhærendum est quàm Græci ad Trojam, aut Romani ad Vejos hæserunt. Ipsa illa nomina substitutiones, conjunctiones, Falcidia, Trebellianum, & hujusce farinæ multa obscura valdè & salebrosa sunt; nec quicquam ex his sine magistro adsequi possumus, cum in sensum & com-

& communes notitias non cadant, nec communibus intelligentiis aut ratiocinatione percipiantur. Præclarum mehercle judicium! & fœno dignum acumen! Si quid difficile, id inutile; si quid arduum id noxium habendum: ac non potius cum sapientibus ita judicandum; difficilia esse quæ pulchra: virtutem ipsam quæ tota pulcherrima est, difficillimam esse; nec ad eam eniti posse, quorum mens juxta ac corpus humi repit. Habet prudentia nostra quæ sutores non capiunt: habet quæ lippos & tonsores latent; quibus elucidandis interpres necessarius. Jure suo habet, nec metuit culpari; cum non possit non tanquam pulcherrima superare plebejarum mentium captum & modum. Id ipsum autem, quod omnino superet, nemo queretur; nisi fortè cui cum vulgo mens est; cui dux vitæ non animus sed libido fuit, qua paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus diffluxere, sapientiæ difficultatem accusat, suam auctor culpam transfert ad negotia; neque animadvertit, artem ferè nullam esse, neque divinæ, neque humanæ rei, quæ non aliqua in cognoscendo difficultate glorietur. Dialecticos & Physicos audiamus; nonne iis utuntur verbis, quæ nec La-

tium

tium, nec Græcia sine interprete intelligit? Nonne suo quodam more loquuntur Geometræ, Musici, Grammatici? Rhetores verò, tametsi artes eorum sunt totæ forenses atque populares, tamen quum vocabulis in dicendo quasi privatis utuntur & suis, quis intelligit, nisi qui in ipsorum Scholis sit exercitatus? Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem artificia sua vulgatis produnt verbis: multis utuntur nobis incognitis, usitatis sibi. Quinetiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, nihilominus eas res in quibus versatur, nominibus notat ab usu communi remotis. Hęc cum ita sint, nemo tamen sanæ mentis, cum in illorum hominum scholas venerit, præsumta judicandi licentia, ausit obscura damnare, salebrosa execrari: Nec quisquam opifices ridet, aut villicis negotium facessit, cum de rebus suis suo quodam more loquentes audit. Si igitur fabris succenset nemo, si rhetores laudamus, philosophis plaudimus, tum cum in disserendo quamlibet difficiles & perplexi sunt: cur J. C.tis. irascimur, quod supra captum leges sint? quod intorta quædam & intricata disputent? Cur aliquid nescire



ſoleant. Hujus rei argumenta ſi quærunt, fidem facient non tantùm illi ipſi malè nobis objecti Satyrici, qui corrupti ſeculi mores, non ſapientiæ crimina exagitant: ſed & illæ provinciæ, quarum indigenæ diverſo ab ultimis Romanorum ingenio ſunt: qui licet teſtamenta probant, rariſſimas tamen audiunt de ſuppreſſis aut adulteratis querelas: nec quiſquam principem præterire metuit, cum periculum ne mali quidem faceſſant, nedum mediocres aut boni. Si igitur hominum objecta crimina ſunt, cur rebus imputantur? Si alterius ævi labes, cur noſtro aſpergitur? ac non potius ipſi illi culpantur, qui rebus bonis in occaſionem ſceleris uſi ſunt? Quod ſi verò propter abuſum uſus quoque è medio tollendus eſt, tollamus eodem edicto codicillos, inſtrumenta dotalia, rationes, chirographia, & hujuſce generis alia: poſſunt enim ſupprimi; poſſunt adulterari: poteſt liberalitas ſcribentis turpi officio provocari: iraſci poteſt Cæſar, ſi nil ſibi legatum ſenſerit. Quid? aqua, & igne, & ſi quæ alia Dei immortalis munera ſunt, nonne abuti mortales improbi poſſunt; idcircò bonis quiſquam his interdixerit? Quin maneat uſus; tollatur abuſus: ne ſi ſecus fecerimus, non teſta-

teſtamentis ſolum & codicillis; ſed & igne, & aqua, & Sole, & cœlo, & ut verbo dicam, rebus divinis humaniſque omnibus nobis carendum ſit. Eant nunc adverſarii noſtri! rixentur cum ſeculo & moribus! conquirant æternæ urbis flagitia! proſcindant conviciis utrumque ordinem & ſexum! Captarit orborum teſtamenta Gargilianus. Meruerit noctibus hereditates Gillo. Irrepſerit in locupletum tabulas Criſpinus. Extulerit nigros maritos Locuſta. Provenerit hinc Mathonis lectica, & centum cauſidicorum patrimonia. Quæ fæx deliquerit Romuli, hæc ſapientiæ crimina ſint? Quod Virro, quod Dama, quod Goranus deſignarint, hoc tu non auctoribus ſed rebus impingas? Iſtuc æquum tibi videtur? Sic recta ratio præcipit? Ita ſapientes facere, ita diſſerere ſolent? O mentes hominum perverſas! O libidinem ingeniorum effrænatam & indomitam! Quid eſt, ſi non hæc calumnia eſt? Unum hoc (A. O.) argumentum cognoſcite; cognoveritis in omnibus, non tàm odio criminum ad accuſandum, quam accuſandi ſtudio ad crimina deſcenſum eſſe: ita homines odio & ambitione præcipites, dum nocere volunt, nihil penſi moderati-

qui, tàm à teſtamentis alieni, ut eos neque ratio, neque utilitas, nec exempla à majorum inſtitutis revocare potuerint; non tamen auctoritatem quam laudavimus ullo modo convellere poſſunt; cum teſtantibus faveat potior gentium nationumque pars; quarum conſpiratio, ad conſtitutionem juris ſatis pollens potenſque eſt: neque paucorum indiget, qui civilem magis & ſuam, quam communem humani generis utilitatem ſequuntur. Quanquam ſi verum fateri libet, ipſi illi qui teſtamenta damnant, grande ſententiæ noſtræ documentum præbeant: Quæ enim damnant, tacentes & inviti laudant, cum partium uſum retinent; cum legata atq; fideicommiſſa codicillis, qui teſtamenti pars ſunt, relinquunt: aut cum naturali ratione unum & ſimplex eſſet omnium patrimonium, magno juris ludibrio duplex commenti ſunt; alterum mobilium, alterum immobilium rerum: Et prædia quidem cum teſtantis arbitrio exemiſſent, de reliquis ratione victi, utilitate expugnati teſtari permiſerunt. Verùm repetunt illi quod ante dixerant, iniquum & indignum eſſe, ut legitimos quos ſanguinis neceſſitudo ad ſucceſſionem vocat, ſcripti heredes extranei excludant; æquum

eſſe

esse ut qua quisq; lege familiam accepit, eadem ad posteros transmittat. Ut aliquid illis largiamur, concedant nobis vicissim necesse est, multo iniquius & indignius esse dominum in extremo vitæ constitutum, acerba invisi heredis cogitatione differri; nec posse præteritis ingratis, incorrupto judicio quærere dignissimum cui familiam tradat: cum nihil sit naturali rationi magis conveniens, quàm voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis ratam haberi. Atque ut minus id iniquum videatur, cùm majorum virtute bona parta sunt; nemo tamen negabit iniquissimum esse, quoties res non à majoribus relicta, sed industria defuncti quæsita est. Fingamus enim gnavum è plebe hominem, cui natura nil melius quàm ingenium, pater præter libertatem nihil reliquerit; ingenium in quæstum contulisse, libertatem industriæ incitamentum habuisse; opes sibi parasse ingentes: Instare seni cognatos, orare, obsecrare, ne testamentum faciat: equum esse totum quod habet, in familia & gente permaneat. Illum contra: Sua nõ gentis bona esse, suo sudore & labore parta; à se diętas, pristinũ, & horrea ædificata; suo impẽdio fundos & instructos & ornatos esse. Æquius esse, ut cum nihil re-

relictum, omnia parta; cum liberi nulli sint, propinqui ingrati, judicio sibi heredem instituat, non legis arbitrio capiat. Hanc postulationem quis non aliquanto justiorem existimet? Quis non pronis auribus accipiat? Cui autem non exclamare libeat? Euge, Euge, senex! facilè palmam habes: vincit tua fabula; victi cognati: quandoquidem & magis ex argumento agis, & versus meliores funditas. Quid ergo? si & hoc iniquum est, dominum non posse testamento hæredem scribere; & illud indignum, extraneis scriptis cognatum preteriri; quid tandem dicemus? num secum natura diffidet? num ratio cum ratione pugnat? Minimè verò nam si recta lege componantur, non modò nulla dissensio, sed & maxima rationum consensio & convenientia parebit. Prima testati causa esto, pro qua summa ratio militat, ut domino statuere de re sua quod libet liceat. Secunda intestati, ut si dominus de re sua nihil statuerit, tùm ad eos ea devolvatur, quibus cognationis nomen patrocinatur. Nec tamen usque adeò testati causa prima & antiqua nobis est, ut & stulta quorumlibet judicia pro lege habeamus. Suus est apud nos sanguini honos; nec quisquam impunè aut liberos exhereda-

verit,

verit, aut parentes prætererit: consanguineos quoque turpibus personis anteferimus. Quod ad reliquos cognatos attinet, non jus nobis, sed conscientiæ stimulus dictitat, uti ne bene convenientes postponantur iis, qui nec sanguine, nec ullis officiis aut meritis nos adsecuti sunt. Ut amicis & bene meritis potiores sint, aut eorum causâ homini libero, & domino, & morituro testamenti factio adimatur, nulla ratio efficit: quin palàm iniquum & injuriosum est. Siquidem rectè sapientes ita disseruerunt: Leviore reprehensione propinquum quàm amicum negligi; quia alterius præteritio iniquitatis, alterius diremtio etiam levitatis crimini subjecta sit: Sanctius atque potentius esse nascendi sorte amicitiæ vinculum, quia possit & malus, & ingratus nasci: ingratus idem atque amicus esse possit nemo. Atquin difficilis, inquiunt, & valdè senticosa est illa de testamentis prudentia: ediscendæ diutius inhærendum est quàm Græci ad Trojam, aut Romani ad Vejos hæserunt. Ipsa illa nomina substitutiones, conjunctiones, Falcidia, Trebellianum, & hujusce farinæ multa obscura valdè & salebrosa sunt; nec quicquam ex his sine magistro adsequi possumus, cum in sensum & com-

& communes notitias non cadant, nec communibus intelligentiis aut ratiocinatione percipiantur. Præclarum mehercle judicium! & fœno dignum acumen! Si quid difficile, id inutile; si quid arduum id noxium habendum: ac non potius cum sapientibus ita judicandum; difficilia esse quæ pulchra: virtutem ipsam quæ tota pulcherrima est, difficillimam esse; nec ad eam eniti posse, quorum mens juxta ac corpus humi repit. Habet prudentia nostra quæ sutores non capiunt: habet quæ lippos & tonsores latent; quibus elucidandis interpres necessarius. Jure suo habet, nec metuit culpari; cum non possit non tanquam pulcherrima superare plebejarum mentium captum & modum. Id ipsum autem, quod omninò superet, nemo queretur; nisi fortè cui cum vulgo mens est; cui dux vitæ non animus sed libido fuit, qua paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus diffluxere, sapientiæ difficultatem accusat, suam auctor culpam transfert ad negotia; neque animadvertit, artem ferè nullam esse, neque divinæ, neque humanæ rei, quæ non aliqua in cognoscendo difficultate glorietur. Dialecticos & Physicos audiamus; nonne iis utuntur verbis, quæ nec La-

tium

tium, nec Græcia ſine interprete intelligit? Nonne ſuo quodam more loquuntur Geometræ, Muſici, Grammatici? Rhetores verò, tametſi artes eorum ſunt totæ forenſes atque populares, tamen quum vocabulis in dicendo quaſi privatis utuntur & ſuis, quis intelligit, niſi qui in ipſorum Scholis ſit exercitatus? Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem artificia ſua vulgatis produnt verbis: multis utuntur nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quinetiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, nihilominus eas res in quibus verſatur, nominibus notat ab uſu communi remotis. Hęc cum ita ſint, nemo tamen ſanæ mentis, cum in illorum hominum ſcholas venerit, præſumta judicandi licentia, auſit obſcura damnare, ſalebroſa execrari: Nec quiſquam opifices ridet, aut villicis negotium faceſſit, cum de rebus ſuis ſuo quodam more loquentes audit. Si igitur fabris ſuccenſet nemo, ſi rhetores laudamus, philoſophis plaudimus, tum cum in diſſerendo quamlibet difficiles & perplexi ſunt: cur J. C.[tis]. iraſcimur, quod ſupra captum leges ſint? quod intorta quædam & intricata diſputent? Cur aliquid neſcire



nescire pudet? Cur totum damnas, cujus particulæ quædam te fallunt? ac non potius magna sapientiæ opinione ita judicas: Si præclara sunt quæ intelligimus, posse etiam illa præclara esse, quæ non intelligimus. Temeritas est damnare quod ignores, cum possit latere: contra laus ingens fateri quod nescias, si sit ejus rei docta ignorantia. Hæc secum perpendere debuerant, qui cruda adhuc juris Romani studia in publicum propellunt; dein plebis suffragiis in Deos relati, una cum fortuna animos ac superbiam sumunt, & quæcunque ad ipsorum gustum non sunt, ante damnant, quam cujusmodi ea sint perspexerint: Neque persuaderi sibi patiuntur, festinationem multos etiam bonos pessundedisse; qui tardam cum securitate famam aspetnati, præmaturam cum dedecore consecuti sunt. Verùm postquam hisce rationibus pervincere nequiverunt, ad extremum utilitate pugnant, & commodis superiores se fore confidunt. Sublatis, inquiunt, testamentis obviam ibitur fraudulentæ & insidiosæ orborum captationi, quam veteres Satyræ nunquam satis exagitasse sibi visæ sunt. Nemo suppressa aut supposita testamenta audiet. Nemo sceleris libidinisve præ-

mia

mia amplissimas hereditates videbit. Nec tyrannum quisquam metuet, ne silentium crimini imputet, aut majestatem præteritione queratur minutam. Ut postremum hunc adversariorum impetum frangam, non est quod magnopere allaborem: manifestum est enim homines dum nimio nocendi studio transversi rapiuntur, non advertisse sapientibus animum; qui, quoties de honesto & utili proposita disputatio est, separari jubent hominum vitia ab iis quæ rerum sunt: commoda verò cum incommodis ita conferri præcipiunt, ut pensantis utrisque pareat, utrum res utilitatem probanda, an exitii metu damnanda sit. Horum vestigiis si institissent, facile animadvertissent, primùm quidem incommoda testamentorum si quæ sunt, collatis commodis ea ubertate pensari, ut ratio istorum haberi nulla possit. Dein illa ipsa quæ memorant captata, suppressa, supposita, rescissa testamenta, non prudentiæ civilis, sed hominum crimina esse; quos ad summa cæteroquin natos, insatiabilis honoris & pecuniarum cupiditas extimulabat: vitium ejusmodi, ut qui eo laborant, his nihil tam sanctum atque solenne sit, quod non comminuere atque violare soleant,

ſoleant. Hujus rei argumenta ſi quærunt, fidem facient non tantùm illi ipſi malè nobis objecti Satyrici, qui corrupti ſeculi mores, non ſapientiæ crimina exagitant: ſed & illæ provinciæ, quarum indigenæ diverſo ab ultimis Romanorum ingenio ſunt: qui licet teſtamenta probant, rariſſimas tamen audiunt de ſuppreſſis aut adulteratis querelas: nec quiſquam principem præterire metuit, cum periculum ne mali quidem faceſſant, nedum mediocres aut boni. Si igitur hominum objecta crimina ſunt, cur rebus imputantur? Si alterius ævi labes, cur noſtro aſpergitur? ac non potius ipſi illi culpantur, qui rebus bonis in occaſionem ſceleris uſi ſunt? Quod ſi verò propter abuſum uſus quoque è medio tollendus eſt, tollamus eodem edicto codicillos, inſtrumenta dotalia, rationes, chirographia, & hujuſce generis alia: poſſunt enim ſupprimi; poſſunt adulterari: poteſt liberalitas ſcribentis turpi officio provocari: iraſci poteſt Cæſar, ſi nil ſibi legatum ſenſerit. Quid? aqua, & igne, & ſi quæ alia Dei immortalis munera ſunt, nonne abuti mortales improbi poſſunt; idcircò bonis quiſquam his interdixerit? Quin maneat uſus; tollatur abuſus: ne ſi ſecus fecerimus, non

teſta-

testamentis solum & codicillis; sed & igne, & aqua, & Sole, & cœlo, & ut verbo dicam, rebus divinis humanisque omnibus nobis carendum sit. Eant nunc adversarii nostri! rixentur cum seculo & moribus! conquirant æternæ urbis flagitia! proscindant conviciis utrumque ordinem & sexum! Captarit orborum testamenta Gargilianus. Meruerit noctibus hereditates Gillo. Irrepserit in locupletum tabulas Crispinus. Extulerit nigros maritos Locusta. Provenerit hinc Mathonis lectica, & centum causidicorum patrimonia. Quæ fæx deliquerit Romuli, hæc sapientiæ crimina sint? Quod Virro, quod Dama, quod Goranus designarint, hoc tu non auctoribus sed rebus impingas? Istuc æquum tibi videtur? Sic recta ratio præcipit? Ita sapientes facere, ita disserere solent? O mentes hominum perversas! O libidinem ingeniorum effrænatam & indomitam! Quid est, si non hæc calumnia est? Unum hoc (A. O.) argumentum cognoscite; cognoveritis in omnibus, non tàm odio criminum ad accusandum, quam accusandi studio ad crimina descensum esse: ita homines odio & ambitione præcipites, dum nocere volunt, nihil pensi moderati-

que habent: melius, pejus; profit, obsit, nil vident nisi quod lubet. Itaque ne diutius aut cum hisce ingeniis confligar, aut patientia vestra abutar, temporis simul atque operæ compendium faciam, & quæ supersunt accusationis capita strictissimè percurram. Absurdum est, inquiunt, quod juris vestri conditores scribunt, condemnatum judicio publico ex quacunque causa fieri infamem: condemnatum judicio privato, tametsi ex eadem vel graviore causa non fieri infamem. Ostentare voluit jus nostrum non modò severitatis, sed etiam clementiæ documenta, cum ex eadum causa duplex judiciorum genus comparavit: privatum mitius: publicum gravius· qua in re peccati nihil est, laudis plurimum. Permittit jus vestrum circumscriptiones in pretio; quas vera non simulata philosophia damnat. Aliter enim leges; aliter philosophi tollunt astutias. Leges, quatenus manu rem tenere possunt: philosophi, quatenus ratione & intelligentia. Itaque quod vetare nequit, intactum relinquit sanctio; ne si vetare velit, commercia hominum dissipet & disturbet. Tolerat legislator concubinatum & meretricias conjunctiones. Nempè, laudem fortasse non

meretur,

meretur, at veniam æquissimis precibus orat; dum satius existimat non tangere adulta & prævalida vitia; quam frustra tentatis remediis palàm facere, quibus flagitiis Quirites impares sint. Ita exagitanda sunt crimina, ne noceat Reip. nimia virtus, & antiquus rigor, cui in magno populo, in multis hominibus, re placida atque otiosa, victis hostibus plerumque pares non sumus. Jus vestrum nil nisi farrago legum est. Sic videtur insipientibus, qui non nisi corporis oculis utuntur. Si aciem animi intendas, invenies artem illam pulcherrimam, quam Cæsar quondam animo concepit; Cajus expressit; Justinianus delineavit. Per tot annos statuere non potuistis, rem an litem, judicem an arbitrum, diem tertium an perendinum dici oporteret. Si statuere id existimas invenire non potuisse, cur tam diligenter erras? Sin convenire non potuisse, cur exprobras? Non enim convenire; vix in venire non potuisse probrum est. Invenisse quis neget? Non convenisse quis miretur? nisi fortè qui non animadvertit, quemadmodum in facilibus ab imperitis; ita in difficilibus à peritis sæpè discessiones fieri: Et fieri tamen à Jurisconsultis parcè; quorum discordiæ duarum solum; cum plu-

rimùm trium sectarum inveniuntur. Hæc sunt quæ jurisprudentiæ Romanæ objiciuntur crimina! Hæc ingentia illa flagitia, ob quæ aqua & igne illi interdictum cupiunt! Quæ cum sint tàm facile confutata, quid superest A. O. nisi ut tabella vestra reæ salutem, accusatoribus pudorem adferat? Audiant solenne illud NON PROBASTIS, quicunque temerè in innocentis caput inscripserint. Habeamus pro re præjudicata illam disertissimi oratoris sententiam: Præter Romanum inconditum esse ac penè ridiculum omne jus civile: Quirites, quanto in bellis gerendis fortitudine? tanto in jure constituendo sapientia reliquos mortales anteisse. Nihil Lycurgi, nihil Draconis aut Solonis legislationes habent, quod cum hac nostra contendere possint: nedum novis hominibus quicquam suppetit, cujus causa paulo minus barbara suorum instituta excellentissimis Romanorum legibus anteferre debeant. Quid est enim, quod tam cupidè reprehen[illegible]nt? quod tanta vi oppugnant? cujus concussi laudem, eversi gloriam quærunt? Testamenta, & ultimæ morituorum preces: res nimirum ejusmodi, quam uti civilis simul & naturalis ratio defendit, ita usus insignis & utilitas

litas commendat. Reliqua quoque quæ carpunt ejus generis, ut peccati in his aut nihil, aut parum ſit; prudentiæ plurimum: adeò vel utilitate latent, vel neceſſitate excuſantur. Ac ſi qua in univerſo jure hujuſmodi ſunt, ut culpæ quam laudi propiora videantur, pauciſſima ſunt & perpuſilla; propter quæ pulcherrima Dea non magis damnari, quam Venus poteſt; in cujus ſandalio qui erant nævi, cœleſti corporis fulgore & venuſtate facile obumbrabantur. Et ſanè cum adverſarii noſtri ex libris diffuſiſſimis, tanto nocendi ſtudio, tam pauca quæ culpent reperiunt; quantam rerum præſtantiſſimarum multitudinem vel tacentes & inviti laudant? Cum tam levis & inepta cupidiſſimorum accuſatorum criminatio eſt; quanta contra innocentiſſimæ ſapientiæ integritas & pulchritudo erit? Fremant omnes licet, dicam liberè quod ſentio: bibliothecas meherclè eorum omnes unus mihi videtur Inſtitutionum libellus & autoritatis pondere, & utilitatis ubertate lõgè ſuperare: cui ſi quis prudentum reſponſa, & ſacratiſſimas Cęſarum conſtitutiones junxerit; nec partem legitimæ ſcientię ullam deſiderabit, nec in cognoſcendo varietatem aut delectationẽ requiret. Si quem aliena ſtudia

capiunt, plurima eſt in omni jure civili antiquitatis effigies, & priſca verborum vetuſtas. Sive quem iſta præpotens & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius, hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui jure civili & legibus continentur. Sive quis ipſam civilem ſapientiam requirat, totam hanc benè deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus & partibus libris noſtris contineri videbit. Neque enim intra privatarum cauſarum limites conſiſtit, tametſi hi ipſi ſatis ampli & ſpacioſi ſunt: nec de tigno ſolùm juncto, aut aqua pluvia arcenda, aut finibus regundis, & familia erciſcunda ſollicita eſt, uti pueriliter nonnulli garriunt: ſed & ſtatum ipſius civitatis tuetur; ſacra, ſacerdotes, magiſtratus, collegia conſtituit; belli paciſque jura condit: quibus de rebus ampliſſimis, quicunque multis retrò ſeculis præclari aliquid literis prodiderunt, ex noſtris fontibus vel bona, vel mala fide habent. Denique juſtitia ipſa ſicuti Heſpero atque Lucifero pulchrior eſt; ita hæc ſapientia, quæ illam univerſam ſibi propoſitam habet pulcherrima eſt. Digna profectò cujus cognitio ſummo ſemper apud Romanos in honore eſſet; quàm principes civitatis quaſi heredium aut poſſeſſionem

nem

nem suam magno studio excolerent. Digna quam barbarorum eruptionibus sepultam Lotharius ab orco revocaret; quam omnes gentes paulo humaniores, etiam proculcatis fascibus ad usum & decus retinerent. Digna denique cui Senatus quoque ac Pop. Ultrajectinus æternam in urbe sua sedem destinaret; cujus interpretes publico auctoramento constitueret. Ac mihi quidem, Coss. & Senatores civitatis amplissimi, ut ante quàm finiam pro me quoque pauca dicam, quoties in mentem venit præclara illa vestra voluntas, & pulcherrimum hoc institutum, non possum non vehementer gaudere, cum video non Deam modò, sed & mystas ejus jure civitatis vestræ honorari. Atque uti vehementer gaudeo, ita non minus opto Dei immortalis munere nunc vobis donari Ælium aliquem, aut Scævolam, aut Sulpitium; id est, senem antiqua virtute & doctrina; cujus domus consilium, vox oraculum melioris juventutis sit; qui instar Pythii Apollinis publicarum privatarumque rerum certos ex incertis facere, atque hoc Astrææ sacrarium maxima nobilissimorum juvenum frequentia cotidie celebrare possit. Næ vos pulcherrimos præclaræ voluntatis vestræ

fructus consequeremini, illamque generosiorem juventutem, cujus bona pariter ac mala ad Rempubl. pertinent, iis præsidiis quibus illa gubernari vult instructam haberetis. Postquam me hominem nec annis gravem, nec usu satis firmatum ad difficilimam hanc provinciam evocastis, non potest non animus inter spem metumque suspensus vehementer fluctuare. Sive enim vos vestramque civitatem intueor, ea magnitudo est, uti summa omnia postulet: Sive me meamque ætatem respicio, is profectus est, uti modica tantùm exigi flagitet: Sive ipsum jus civile considero, fuit quidem id docere semper pulchrum in urbe; sed & arduum fuit, nec nisi nobilissimorum hominum munus: qui cum animum intendunt, seu rectè, seu perperam facere cœperunt, ita insigniter in utroque excellunt, ut nemo nostro loco natus adsequi possit. Veruntamen cum humanitatis vestræ recordor, qua quæ modica mihi erant, ut magna suspexistis, labentem timore animum spes revocat, & quodammodo persuadet; eos qui in me ornando fuêre faciles, in probandis studiis & laboribus futuros non difficiles. Hac, confidentia fretus, quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam

tiam comparabo: quam si adhibuero, atque ad eam accesserit vestra æquanimitas, quæ præsidium sit nostræ tenuitati, non metuam, ne frustra speraverim. Adferet autem æquum animum, quicunque in eum inducere poterit, omnibus in bonis rebus conatum in laude, effectum in casu esse: Satis spectatam illius indolem, qui cum non possunt primi esse omnes in omni ætate, id sedulo caverit, ne suapte culpa inter postremos haberetur. Nec quisquam senectutem requiret, qui cogitaverit, displicuisse virtuti annales leges; nec soli canitudini comitem esse sapientiam: Denique non rugare frontem antequam nituerit, hos omnes quos senes admiramur, quondam juvenes fuisse, eumque qui nunc inter exempla est, olim exemplis se defendisse.



ANTONII MATTHÆI

ORATIO II.

DE

TOGA,

Recitata IV. Maji M DC XXVII.

Cum GULIELMUS de GRUTER, J. U. D. *pronunciaretur.*



Uibus dicendi provincia fortè delata eſt, eos cum ad alia attentos, tum inprimis de argumento videmus eſſe ſollicitos; ut ſit tempori, loco, & perſonis quàm maximè accommodatum. Huic ſollicitudini cauſam ſeculi ſenſus præbuit, qui ſupra modum tener atque delicatus eſt, & ſæpè rectè dicta faſtidit; quid futurum, ſi in optando themate declamator aberraverit? Me verò iſtoc metu liberat ampliſſimi Senatus prudentia, cujus in conſtituendis ſtudiorum ſacris, ea videtur fuiſſe ratio; non ſolùm quà cupidæ juventuti ſatis eſſet ad diſcendum; ſed & oratoribus ad declamandum.

dum. Tantus patrum erga Musas amor! tam rara munificentia fuit, ut vel uni dies illi, quos ordini nostro natales aspeximus, inexhaustam dicturis materiem suppeditare possint. Ac licet aliqua jam ante facundis memorata sint ingeniis, quorum ea apud me existimatio atque auctoritas est, ut falli putem omnes, qui ad ipsorum labores aliquid adjicere se posse sperant: tamen non pauca in publico sunt relicta; quæ cum hactenus nemo sua fecerit, occupantibus jure communi pateant necesse est. Ex his cum deliberarem, quid huic tempori atque loco potissimum quadraret, non longa habita consultatione insigne vestis occurrit, qua nos amplissimus ordo conspicuos esse voluit. Togam dixere Romani. Hujus bona pandere: hanc à Senatu donatam laudare decrevi. Decrevi autem eo cupidius, quod solennis hæc panegyris non alium in finem instituta sit, nisi ut juveni ornatissimo, qui adstat, à me diribitore præmium legitimi studii virilis detur; quemque palliatum duximus, togatus à nobis reducatur. Adeste igitur omnes, quibus toga cordi est, & mihi de bonis ejus differenti, pronas aures, atque animos commodate: quibus sordet, tantisper sibilos &

ſcreatum differte, dum ſinu ejus & laciniis penitius excuſſis, pro ronchis plauſum, pro tuſſi grande ſophos impertiatis.

Res memoratu dignas qui poſteritati reliquerunt, iis Syloſontis quoque Samii amiculum viſum, quod felici ſtylo famæ conſecrarent. Ejus enim artis atque operis fuit, ut non oculos modò, ſed & animum Darii in ſe convertit, curioſiuſque contemplanti donatum, totam urbem inſulamque Samiorum hoſtimentum tulerit. Haud paulo dignior ævo toga noſtra, quæ non opere duntaxat, verum etiam antiquitate & uſu commendatur: decoris autem, ac venerationis tantum habet, ut, quaſi cœlo delapſa, non unius purpurati adfectum, ſed omnium, quantum eſt hominum ſapientiorum amores meruerit. Temporum quidem perverſitas corporis cultum novitatis pretio metitur, autumantque ſtulti mortales eum ſpecioſiſſimum habitum eſſe, qui quàm nuperrimè ex diverſa aliqua orbis regione fuerit allatus. Hinc demiſſitia iſta femoralia ſe nobis approbant. Hinc pilei orbis tàm grandis, quàm non prætoris olim corona, cum ludos ederet. Hinc monſtroſa collariorum ſpatia, queis ſtatores altius ſuccincti pro tunica, nautæ pro carbaſo

uti

uti possint. Frustra coner singula exequi: sunt enim infinita, & loquacem Fabium delassant, qui cotidiè nova indumentorum produnt nomina. Verùm, longè ab his diversa est nostra ratio, qui sapientes secuti, eam demum amiciendi rationem judicamus optimam, quæ à sanctissimis priscorum institutis quàm minimùm declinat. Cur enim ætatis veneratio aliis quidem in rebus ad arguendum sit valida, ad commendationem cultus corporis nullum conferat momentum? Leges, mores, ritus gentium eos arbitramur optimos, quos scimus antiquissimos. Stemmata nobilissima, quæ vetustissima. Vinum quò minus novum, eo magis generosum. Postremò auro, argento, signis, & plerisque rebus aliis anni pretium addunt, aut demunt. Vestem cur non eadem temporis prærogativa commendet, ut ea duntaxat honestissima habeatur, qua & antiquissimi retrò mortalium, & rerum gestarum gloria maximè insignes usi sunt? Hanc si quæramus, togam fateamur necesse est: quam non nuper superba atque ventosa Hispania, non amans novitatis Gallia, sed utraque nobilior invenit Græcia. Sileant Poëtæ Jovis cunas! Sileant geminum Latonæ partum! Non hic Frontonis platani, ne-

que fabularum lectionibus dedicatæ columnæ sunt. Fidem à dicentibus optimam hæc, quæ cernimus, exigunt marmora. Græcia illa orbis delicium! Græcia humanitatis parens! Græcia artium omnium & disciplinarum magistra togam invenit. Nec omnium Græcorum ea laus, antiquissimi Pelasgi sibi vindicant. Hi repertam ante innumera secula ad Lydos transtulerunt. A Lydis ad Hetruscos: ab Hetruscis porrò ad Romanos pervenit. Romæ aliquamdiu pura solum in pretio: primus Tullus Hostilius, debellatis Hetruscis pictam quoque intulit. Atque ex eo ista quidem triumphantibus cessit: illa promiscuè populo usurpata. Nec plebes modò, sed & eques: nec eques modò: sed & Senatus eodem cultu sibi placebant. Hi natales! hæc togæ incunabula memorantur! quorum splendorem quis non vel primo obtutu deprehendit, cum animadvertat, ab iis profectam populis, quos potior orbis pars Europa atque Asia habuit aut antiquissimos, aut sapientiæ & fortitudinis laude clarissimos? Quod si æra, catinos, & vasa priscorum fictilia, quæ fortè fortuna eruerit fossor aliquis, aut arator, dum glebas versat, tanto præstinamus pretio, ac tanquam
gemmas

gemmas & chrysendeta aut flagellamus, aut ostentamus; quo nobis loco toga esse debet, quam non è squalenti terræ sinu effodimus, sed, de manibus nobilissimorum hominum accepimus? Illa frivola & vulgaris usus, jam tunc cùm fierent, sub artificum marculis sordebant: postquam ruinis sepulta, diu inter cineres & retrimenta jacuerunt, vix robiginem ferunt, ac temporis injuria victa, propè inter moras & digitos tractantium disparent. Toga verò non strage infelicis urbis oppressa, sed tenacissimis mortalium animis impressa, adeò non sensit edacis vetustatis morsus, ut everso quoque imperio fuerit superstes. Temporis enim calculum subducentibus, ex quo Cimbrorum Teutonumque arma Romanis primùm visa, usque ad Gothorum in Italiam irruptionem, anni plus quingenti numerantur: tandiu Roma vicit, aut à Germanis victa est. Inde continuas perpessa clades; primumque Alarico; dein Genserico; post hunc Totilæ; demùm Odoacro præda fuit. Nihil securum, nihil intactum ab injuria. Ne religio quidem, tametsi in barbaris quoque efficax, satis validum ad arcendam vim præsidium: adeò fœdata passim aut deleta tam sacra, quam profana. Jamque

que

que non Samnium in Samnio, sed Roma requirebatur Romæ. Nemo fasces, nemo secures amplius exhorruit. Jacuit inter favillas tristis incendii laurea, latus clavus, penula, lacernæ. Ac nec prætexta flammæ expers; quæque fortitudinis olim irritamentum, turbante fortuna barbari furoris ludibrium extitit. Togæ puræ idem dixisses fatum: verùm hæc usque adeò deleri ex animis hominum non potuit, ut elapsis ab ista tempestate annis circiter septingentis, quum Lotharius Saxo signum jurisprudentiæ Romanæ sustulisset, non reviviscere solùm, sed & majore cum dignatione caput erigere visa sit. Ex eo enim tempore, non in usu promiscuo quarumlibet classium atque centuriarum habetur, sed propriam ex jure Quiritium illi sibi vindicant, quibus decursa studiorum arena, pro præmio laborum atque eruditionis auctoramento data fuerit. Neque verò quisquam miretur, urbi toties labefactatæ, toties direptæ, tanto temporum decursu potuisse togam superesse; cum eæ hujus vestis dotes sint, ut non potuerit non gratum sui desiderium, & perpetem in animis hominum memoriam relinquere. Sive enim figuram spectes, sive pretium atque commoda

moda expendas, ejusmodi sunt, ut nihil ex iis, quę natura & sapientes requirunt, neglectum aut prætermissum videatur. Natura quem in vestiendo morem desideret, in condenda corporis nostri fabrica sollicitè expressit. Os enim sublime, ac reliqua membra, in quibus species est honesta, in aperto posuit: quæ autem ad necessitatem data, aspectum habent deformem, ea contexit atque abdidit. Hanc magistræ verecundiam sapientes secuti, ita præcipiunt: Neque proferenda, quæ tegi; neque tegenda, quę proferri illa voluit. Mediocritatem sicut omnibus in rebus, ita in veste quoque optimam esse; si nec astricta, nec, laxa nimis aut fluida utamur: quoniam illud quidem barbarum atque deforme: hoc verò molle & effœminatum apparet. Postremò injici facile & expediri debere, ne festiántibus morę sit, aut quas negotia flagitant horas, eas præposterum ornandi studium absumat. Quod si curioso oculo omnes omnium gentium atque nationum amictus perscrutemur, quæ præcipiunt, in aliis vix singula, in toga reperiemus universa. Primùm demissa est, & ad talos propendens quà vel solà laude, apud peritos rerum arbitros, censeri poterat. Hæc enim res efficit, ut & lateant decentissimè,
quæ

quę aſpectum parùm habent honeſtum, & univerſo corpori conciliat gratiam atque dignitatem. Convertit quidem in ſe hominum oculos purpuræ ſplendor: ſtupet ad fulgorem auri atque argenti uterque ſexus: ſi tamen verum amamus, aliquanto ſimplicius veneramur veſtem talarem. Quippe ita natura comparatum eſt, ut quo magis unum quidque fuerit, & continuum: eo grandius quoque ac divinius eſſe videatur: dum intuentium oculos diutius detinet, & ad omnes dimenſionum ſpecies ſuſpenſos moratur. At quæ ſtricta ſunt & conciſa, ſicut multas in partes abeunt, ac tantum non evaneſcunt: ita oberrantem temerè luminum aciem illicò dimittunt & humilitatis ſuæ ſibi conſcia, nec intuentibus conſiderandi curam, nec prætereuntibus venerandi legem imponunt. Honeſtum eſt, quod in viro ſuſpicimus: cujus ſpeciem longè maximam veſtitus prolixus habet: quandoquidem ita factus eſt ut nihil inhoneſtè conſpiciatur. Brevis contra habitus, quemadmodum facile caſtos oculos inceſtat, ita difficulter virtutis opinionem tuetur. Ac ne quis exiſtimet, honeſtatem quam laudamus perſuaſione magis noſtra, quàm veris rerum argumen-

gumentis constare, gravissimum hujus rei documentum sacer codex suppeditabit. Cum enim protoplastus ille mortalis infelicissimi pomi esu, de summo beatitatis gradu dejectus, horrore cœli, ac nocturno frigore conficeretur, Deus immortalis formam & exemplar honesti amictus humano generi traditurus, non breves & lancinatas, sed prolixas è pellibus tunicas dedit, quibus recens detecta corporis turpitudo quàm decentissime velaretur. Nec alio cultu primi illius, & verè aurei ævi homines conspectos crediderim, tametsi jam texere, atque etiam acu pingere didicissent: tanta enim illis numinis constitit reverentia, ut nefas ducerent, ab iis declinare, quæ auctori opt. max. scirent placuisse. Argentea secula, quemadmodum primos mœchos viderunt, ita vestiendi modum paulatim ab honesto ad libidinis irritamenta deflexerunt. Tunc primùm mulier indomita nebulam induit lineam. Tunc adulter soleatus atque pellucens ante alienum stetit cubile: juvitque cupidines prurientium nudasse aliquid turpiter, quod hactenus latuerat decorè. Sed reprimo me, ac ne videar honestatem togæ rationibus duntaxat asseruisse, etiam ab experimentis

lucem

lucem mutuabor. Quæ cum multa suppetunt, tum inprimis illustre Romę captum est, qua tempestate Galli, cæsis ad Alliam Romanis, urbem occuparunt. Ingressi victores, nil nisi vastitatem & cædes adferre videbantur. Jamque sedebant in atrio domus quisque suæ senes, tanquam victimæ aris destinatæ, exigui cruoris reliquiis primam furentium iram expiaturi. Quis potuit sperare? talares togæ atque ornamenta triumphalia, tantum religionis injecere barbarorum animis, ut homines mori certos cædere non sustinerent. Ac securi vitæ, inter tela atque infesta agmina perduellibus suis superesse poterant, nisi quos prætextæ servaverant, eos fatalis ille M. Papirii scipio perdidisset. Quo verò tempore fortissimus Epirotarum rex Pyrrhus bellum Romanis fecit, quantum majestatis & in Senatu, & in universa togata gente fuisse dicemus? Cineas cogitandi curam injicit: is pacis ineundæ causa à rege Romam legatus, quum re infecta reverteretur, interrogatusque esset, quid de hostium sede sentiret; urbem sibi templum visum, Senatum regum consessum respondit. Viceratjam ingenti prœlio Epirota, magnamque Italiæ partem impunè depopula-

pulatus, propè captum Capitolium à Prænestina arce prospiciebat, fractaque Quiritum vis, sed & periculosa dicendi libertas oratori videri poterat: tamen ea ipsa rerum facie tam augustus pop.Rom. habitus fuit, ut & peregrino, & hosti, & regio ministro majestatis confessionem extorqueret. Hæc hujusce generis exempla alia, quoties animum subeunt, subeunt autem sæpissimè non possum non mirari, atque ut verum fatear etiam stomachari, adeò à priscorum gravitate desciviſſe præsentis ævi mortales, ut non ament tantùm subducta istac lacera vestimenta, sed & rideant, si quem viderint laciniis indulgentem. Interim pallia placent, interim saga: & placeant sanè, ne passim vulgetur togæ honor. Verùm cur indies ea substringunt? cur cotidiè aliquid decidunt? Turpe dictu! vix nates jam tegunt, cum poplites quoque debuerint. Atque utinam ista pauci facerent, aut saltem boni non facerent: verùm tantum pravi mores invaluerunt, ut quemadmodum torrens aliquis obices & saxa; ita malorum conspiratio bonas mentes ruat. Timent hæ, quamlibet ineptè, tamen, ne si recto more vestiantur, crebrius audiant Poëte illud; Nil lascivius

est

eſt Cariſiano! Saturnalibus ambulat togatus. Neque verò mea ſolius hæc querela eſt, ne quis forte clamitet, quartum è cœlo Catonem decidiſſe, cujus nova ſapientia ſeculo mores exprobret. Jampridem queſtus eſt ea de re vir nobilis Augerius Giſlenius Busbequii dominus, qui à Primo Ferdinando Cæſare Byzantium legatus, quum animadverteret, quantum decoris ac dignitatis longis Turcarum ſagis ineſſet, liberè quid de noſtris ſentiret expoſuit. Turcæ, inquit, veſtitu utuntur prolixo, & ferè ad talos demiſſo, qui ut eſt honeſtior, ita proceritatem illis conciliare videtur. Veſtitus contra noſter adeò curtus & brevis eſt, ut eas partes aperiat, quas natura latere voluit, eaque re parùm decorus. Huc accedit, quod neſcio qua ratione demere aliquid de ſtatura, & brevitatem addere videtur. Hactenus Busbequius: indignatione, credo, ſimul & pudore ſuffuſus, cum inter iſtos ſagatos, inſtar vulpis Æſopicæ deprenſus eſſet; quæ mutilati corporis dedecus, in illo cœtu, nec tegere honeſtè, nec excuſare poterat. Et ſanè, ſi nunc in medium progrediatur, ab hac quidem parte, non dicam Romulidarum, ſed Othomannorum aliquis; ore neque

ſquallido

squallido; neque delibuto; capillis non sordidis, nec tamen comtis: cui tunicæ ad poplites, versicolor sagum ad talos defluat: Ab istac verò parte sussiliat nostratium aliquis, qui vertice calamistrato fœminarum corymbia imitetur: cujus strictior vestitus singula membra exprimat: cui braccæ ad calceos, pallium vix infra cincturam descendat: quis adeò corrupti erit judicii, qui non longè honestiorem fateatur Turcam? Nunquam enim malis moribus id continget regnum, ut ea quæ à natura longiùs recedunt, tametsi passim, & ab omnibus fiant, recte quoque fieri arbitremur. Quid autem? si porrò à Turcis ad Tartaros excurramus, nonne pudorem habere oportuit, nisi prorsus depuditum esset? Tartari, tametsi sævitia magis & immanitate, quàm virtute censeantur, tamen optimam ducem naturam secuti, prolixiora saga probant, nostrumque vestiendi morem usque adeò damnant, ut cum in omnes bello captos promiscuè sæviant: tum exquisitis cruciatibus eos necent, quos brevior & scissa vestis notabiles fecerit: indignissimos judicantes vita, qui ea, per quæ vitam tuemur, succidunt. Atque hæc barbarorum de vestitu sententia quo rectior apparet,
eo

eo manifeſtior noſtra ſit turpitudo. Cum enim ſolo naturæ inſtinctu moniti honeſtè veſtiantur, valeantque apud eos boni mores potiùs, quàm bonæ leges, quæ nobis defenſio reliqua, qui non modò à natura imbuti, ſed & à ſapientibus inſtituti ſumus? Quis autem patronus, quis advocatus eſſe volet iis, apud quos pietas regnare debuit, ſi honeſtatis inopia laboratur? Turpe quidem per ſe vinci; turpius à barbaris; turpiſſimum omnium Chriſtianos vinci à paganis. Quapropter laudet terram, ab aliis nominandam, à me intelligendam, quicunque volet; & qnantumcunque volet: eſto rax, dives, populoſa, multiſque magnis urbibus habitara. Adjiciantur & iſta: cuſtos legum, magiſtra civilis vitæ, nutrix humaniorum literarum. Neque repugno, neque obtrecto rectè dictis: quin cum aliis de cauſis celebrandam, tum privato nomine amandam cenſeo, quod eos purioris prudentiæ myſtas tulerit, quorum præcipuæ in aſſerendo liberali manu jure, & profliganda barbarorum tyrannide partes extiterunt. Uno tamen argumento culpari magis, quàm laudari meretur; quod adeò incerta, adeò nulla veſtiendi lege utitur nec contenta ſuos intra fines ſæ-

pius personam mutasse ad nos quoque hanc recti moris labem transmittat. Et est quidem id eo magis in illa gente reprehendendum, quod domesticis quoque exemplis didicerint, quàm sit vestitus, quo gaudent, contumeliis & contemtui obnoxius. Quid enim Ludovico XI. contigisse memorat auctor florentissimus Philippus Cominæus? Ad fontem rapidum cum Henrico Castiliæ rege congressus, quod indutu uteretur brevi & inepto, ab Hispanis risus est; neglecti decoris hoc auferens præmium, ut excitatis hinc inde ludibriis, dubia amicitia discessum fuerit, cum ante inter utrumque stetisset firma atque constans. Sed quid ego Cominæum cito? quid Ludovicum in partes advoco? Non eà primùm tempestate factum periculum est: ante multa secula Carolus ille, cui res gestæ Magni cognomen pepererunt, hanc suæ gentis in prava facilitatem perstrinxit. Cum enim videret Francos ante patrium cultum breviores Gallorum chlamydes habere, eorumque vitiis vinci, quorum arma vicerant; quemadmodum Augustus quondam Romanis pallia, ità suis exprobravit sagula: En, inquit, Francos Galliarum domitores, gentemque sagatam! Quid prosunt vobis

ista pittacia? Cubantem non cooperiunt, equitantem à ventis & pluviâ non defendunt: secedens ad necessaria naturæ, deficio congelatione tibiarum. Quid est igitur, quod mentes vestras, quæ rectè solebant stare, tàm dementi ruina flexerit? Hæc excellentissimi regis de fago censura fuit: togæ quantum detulerit, nemini obscurum esse potest, nisi qui ignorat, & usum frequenter, postquam devictis Longobardis patricio cultu donatus esset: & imaginem ejus apud Helveticos hodièque in monasterio S. Galli togatam ostendi. Prudentia autem & virtute cum tanta fuerit prævditus, ut omnes sui temporis principes facilè vicerit, judicium quoque obtrectatione cariturum confido, mihique sub clypeo ejus latenti, invidiam dictorum non esse pertimescendam. Diutius tamen fortasse quam par erat huic orationis parti immoror, dum liberius indulgeo dolori. Itaque ne querulus videar, vela vertam, atque ad alias togæ dotes transibo. Longitudinem proximo gradu laxitas excipit, quæ quemadmodum usu illi suppar, ita ad commendationem totius æquas ferè vires habet. Nam & ad tegendum corpus confert plurimum, & sinu decenter collecto honesti speciem mirificè adauget.

auget. Dignitatis autem, ſiquidem Pop. Rom. judicio ſtandum eſt, aliquanto plus ſinus, quam ſyrma habet. Quippe ſeu moribus id receptum, ſeu legibus fuerit conſtitutum, ita ſanè Romæ obſervabatur, ut longas quidem & talares togas, tam minorum, quàm majorum gentium Quirites geſtarent: laxis ſoli potentiores uterentur. Planèque pro opibus & fortuna togas; maximam latitudinem intra ſex ulnas ſtetiſſe legimus. Ac licet veteribus nulli ſinus, perquam breves poſt illos fuerunt, brachiumque eorum, ſicut Græcorum, veſte continebatur; rectè tamen hæc vetuſtatis parſimonia ſucceſſu temporum emendata eſt. Docebat enim præceptor uſus, & inconcinnam eſſe arctiorem togam, & geſtus orantium cauſas impedire. Nec ſinuum duntaxat cura habita, ſed & reliquæ figuræ. Rotundam enim, & aptè cæſam exigunt, qui peritiores hujus rei cluent: adeò quidem, ut ſummus dicendi magiſter Quintilianus, cum de habitu perfecti oratoris diſſereret, vetuerit alia dicentem pro roſtris, aut in baſilicis conſpici. Movebat haud dubiè, quod honeſtius tegeret, atque ita quidem, ut non tergum magis, quam pectus te-

ctum dici posset: aliter autem multis modis fiebat enormis. Hæc omnia, quæ dixi, nostræ togæ inesse mihi videntur. Est ea rotunda: est aptè cæsa: est intra modum lata. Sinuatur autem ita decenter, ut nec nimia laxitas molle aliquid, nec arctior commissura turpe quiddam, & barbarum præ se ferat. Qua parte apparet, quo loco à Mecœnatibus nostris habiti simus: utrum in quatuordecim duntaxat, an vel in ipsa orchestra spectare nos voluerint. Quantulum enim deest ad sex ulnas? Quid desideres ad cultum patricii, nisi fortè latum clavum? Est hominum genus, qui se omnium rerum primos esse volunt, tametsi imi subsellii viri sint: hi contemnere Musas solent, nec cuiquam magis, quam cerdonibus literati sordent. Nam, quemadmodum in vita nihil præter curta æra mirantur; ita virtutem quoque ac sapientiam infra numos licentur. Horum animos pariter atque opes juxta spernamus, & nobilissimi ordinis conscientia contenti, omnes uno æstimemus asse. Minimè enim obscurum est, eodem SCto quo hæc nobis toga data est, etiam locum inter honoratos factum, ac longè supra vulgus collocatos esse. Quis dubitet? cum serico quoque suffultam videa-

videamus: materiâ tanti olim pretii, ut metallorum nobilissima æquaverit; singulæque serici, totidem auri libris expenderentur. Quæ causa fuit, ob quam privatis usu vestis holoveræ interdiceretur, & cultum bombycinum solus princeps sibi, suisque palatinis indulgeret. Nunc, hominum fidem! quo deventum est? Capite censis imperari non potest, ne lanam fastidiant: rus ea, atque in ergastula relegatur: nisi qui holosericatus est, vix ut honestus agnoscitur. Quid autem reliquum iis, qui ad gubernacula Reip. sedent? qui summis honoribus atque imperiis funguntur; hos qua vestis nota à popello disparabimus? Equidem, nisi provida futurorum natura ori horum virorum, & toti corpori infudisset majestatem: nisi ex vultu, atque ex oculis emicarent scintillæ quædam, virtutis & magnæ fortunæ indices; laterent ignoti, sportulasque petentibus mulio aliquis cocco fulgens, aut parasitaster ostro cubans anteferretur. Quid enim superest Corvino & Liciniis, postquam Crispinus tyrias lacernas invasit? Quo cultu Cæsar se jactet, cum Gnato Serum vellera terat? Aliter vestitos fuisse comperimus illustres heroas, qui

hanc nobis libertatem pepererunt:quorum moribus ſpretis, cum tanto ſumtu aut calemus, aut ventilamur, quid facimus aliud, niſi quod pelles illis ſuas exprobremus? Nimia iſtæc licentia eſt, quam ex fortuna vulgus ſibi ſumit: qui poſtquam crebris in Indiam navigationibus opes crevêre, virtutis inſignia numis æſtimat, omneſque dignitatum gradus commiſcet atque confundit. Quanquam, quid opes creviſſe dico, paucorum iſta ſeu miſeria,ſeu felicitas eſt,quorum potentia jam penè gravis & ſuſpecta libertati. Reliqui, laboramus ambitioſa paupertate; ultra vires patrimonii habitus noſtri nitor eſt; magiſque inopiam, quàm improbitatem fateri pudet. Res ſanè animadvertenda; quandoquidem nullum vitium iis continetur finibus, quibus ortum eſt; nimiſque maturè à rectis ad prava; à pravis in præcipitia ruimus. Interea dum medicina paratur malo, ſui cuique libido veſtiendi finem dabit: nos, uti dixi, judicio Senatus acquieſcamus; in cujus ſuffragiis plus ponderis atque rectæ rationis, quàm in opinione plebis eſt. Unum reſtat, quod impensè excuſandum mihi video, quamobrem ampliſſimo conſeſſui placuerit pullatos nos eſſe, cum Romanorum togas

gas albas fuisse legamus. Atque albedo quidem, præterquam quod aperti animi, & ingenui pectoris signum esset, etiam rebus lætis accomodatus color visus est. Candidi erant prospera urbis fortuna Quirites. Sic populus convivia inibat. Sic uterque ordo in theatro sedebat. Sic in curia sententiæ: ad Deorum pulvinaria preces dicebantur. In campo autem non aliis imperia & honores dati, nisi qui togæ albedinem adjecto cretæ candore intendissent. Lugentium insignia pullæ vestes; quique capitalium criminum accusabantur, sordidi atque atrati ad judicum pedes procumbebant. Quid, quod ad religionem & sacra pertinere colores autumant? Divinus Plato, cujus unius auctoritas instar omnium pollet, cum Reip. suæ sacra legibus latis constitueret, colorem album præcipuè Deo decorum existimavit; tum in cæteris, tum maximè in textili: tincta verò abesse jussit, nisi à bellicis insignibus. Cum hac viri sapientissimi lege vetustas consentire videtur; quæ Dianæ cervos, Jovis, atque Solis equos niveos finxit; columbas Veneris niveas. Hostiis quoque non nisi candidis Jovi, & Diis superis. Diti, atque Diis inferis fieri voluit nigris. Quid dicam? aut quid non dicam?

Hoc unum ad felicitatem deesse nobis querar, quod pullatos voluerit Senatus esse? Absit ut institutum culpem; res ipsa, & seculum, in quod nati sumus, factum laudant. Veteres, quemadmodum naturam ducem secuti, multa præclara tradiderunt, quæ mirari, quàm imitari proclivius sit: ita cum de sacris & religione disputant, radiis æternæ lucis destituti cœcutiunt, & monstrosis opinionibus quod reliquum est de ingenito lumine prorsus extinguunt? Inde factum, ut coloribus quoque sacra censerent; album Diis adprimè gratum & convenientem existimantes. Nos immortali magistro docti, & æterno sapientiæ fonte tincti, certi simus ad religionem nihil attinere colores. Seu ater, seu albus is fuerit, dumne pectus atris liveat vitiorum maculis, perinde adversus Deum gratus acceptusque est. Animus est, quem numen spectat: quem si candidum geras, facilius verbo pacem ejus exoraveris, quàm impius aliquis, qui Hecatomben facit. Quod si nulla in sacris coloris habenda ratio, atrum longè convenientiorem facientibus judico. Nam si criminum rei atrati judicis animum ad misericordiam flectebant: nonne nos, qui sumus gravissimorum criminum, atque æterni exitii

exitii rei, decet vel maximè pullatos ad aras Dei immortalis accedere? Quid, quod ipsi illi qui nobis objicuntur, gentiles ea in re parum sibi constiterunt? Nam si albus color Deos decebat, cur Plutum aliquanto minus decuit, quam Jovem? Cur Apollo corvo gaudet, cum Veneri placeant columbæ? Cur aquila Jovi sacra est, pavo Junoni, noctua Minervæ? Nonne hæc placitorum inconstantia aguit, nulla id quod opponitur niti ratione? In civili autem vita, cum sequior potissimum sexus candorem amet, nonne dixeris virilem magis esse nigrorem? Inprimis cum & ipsa rerum natura corpori fœmineo albedinem dederit: viros autem plerunq; fuscos magis, quam candidos esse voluerit. Quod quidem naturæ decretum ita palam in omnium oculos incurrit, ut ne mollissimos quidem bipedum fefellerit: qui licet galbanos haberent mores, fuscos tamen amabant colores; & bæticati potius atque leucophęati, quam candidati, aut amethystini incedere gaudebant. Quare nemo culpet Senatus institutum: constant omnia, quę toga habet, certa ratione. Nihil redundans, nihil otiosum; nec quidquam quod à superstitione profectum possit videri. Postquam ergò togæ nostræ fi-

guram & colorem asserimus, de usu quoque, ac utilitate verba faciamus. Est autem ita ingens & varius hujus vestis usus, ut propemodum nec qua incipiendum, nec qua desinendum sit parte prospiciam. Modò diximus, nullam esse, quæ tam honestè corpus tegat: nunc adjiciamus, nullam esse, quæ tam facilè in humeros injici, tam facile rejici queat. Cingi potest, qui sinum volet: succingi, qui expeditus iter facere. Qui gravi incessu delectatur, ad talos demittet: ad poplites, qui concitato. Si æstus vexet, rejecta: sin contra frigus urat, adducta te beabit. Ab imbre, à grandine, à nivibus penula rectius defendet. Nec tegere modò, sed & ornare virum potest; si tamen viri est ornari. Munditiæ enim, & speculum, & acus fœminarum propria sunt: his gaudent & gloriantur: in nostro sexu magis nimia cura, quam negligentia reprehenditur; & quo quisque horridior eo plus veri viri habet. Attamen, si quis maris quoque hominis ornatus est, eum honestissimum, minimique & temporis, & impendii reor, quem toga nobis confert. Mulieres dum moliuntur, dum comuntur, dum de singulis capillis in consilium eunt, annus est: vir puncto temporis injecta toga, tametsi ne-

ſi neque pexus neque calamiſtratus eſt, ſic tamen ſatis procedet ornatus. Non enim Hortenſium imitatur, qui ad ſpeculum ſe intuens anxia cura togam corpori ſic applicabat, ut rugas non forte, ſed induſtria locatas artifex nodus adſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens lateris modum ambiret: Nimia iſthæc, & inepta ſollicitudo eſt; quàm metus quoque ridiculus comitatur. Quibus enim tam triſtis amiciendi lex poſita eſt, hos neceſſe eſt & ventum, tanquam grande malum; & cubitum vicini, tanquam anguem in herba formidare. Hæc formoſorum Spanii, & Priſci, & Cotili infelicitas eſt; qui quoties ex tonſoris ſententia ornati procedunt, cum ſubitas tempeſtates, tum occurrentium umbones tam miſerè timent, quam non Sabella cretata nimbum, ceruſſata ſolem timuit. Atilium potius intuetur gravis vir, aut L. Quintium qui ab agris, & opere rureſtri ad imperia evocati, toga è proximo tugurio depromta, raptim & viriliter cincti ſunt. Nec cuiquam de injuriis diem dixere quod occurrens in anguſtiis offenſo fortuito ſtructuram ſibi deſtruxiſſet: nec capital putavere, quod in humero ſuo locum ruga mutaſſet. Nempè, hi timerent, ne non ad ſpe-

culum compositi parum honesti viderentur? Hi Creticum aliquem, aut Crispinum, aut alterius generis Cincinnatos sibi prælatos dolerent? Naturam consulebant, qua judice nemo non vir spadone formosior erit: neque tàm aversa unquam à recto ratio, ut villico venustiorem credamus ciniflonem. Libido quos juvat, ii cultu sexum mentiantur, & exciso quod usquam virile est, suæ lenocinentur formæ. Nos, non quæ lævia & nitida; sed quæ dura & fortia, ea quoque viro decora judicabimus. Nec quisquam censebit, pelle hædina speciosum fieri, quod si nasceretur monstrum erat; nisi idem naturæ ante, tanquam gigas aliquis Deo bellum indixerit. Porrò, quanti hæc æstimabimus quod aliæ quidem vestes aliarum indigeant adjumento, toga vero sibi sufficiens vel sola honestè tegat? Mirum id alicui; forsan & absurdum videri possit; sed fidem faciunt veteres illi Romani, quos æstate sub toga, solo campestri cinctos fuisse accepimus. Nec transtyberinis duntaxat ambulatoribus id factitatum, aut fornicis & popinarum inquilinis, apud quos levis plerunque pudoris jactura est; sed & summis in Rep. viris. Quamobrem eum morem ex antiqua consuetudine homo virtuti
simılli-

ıillimus Cato repetiit, quem eodem bitu jus dixisse ferunt. Quin etiam candati olim absque tunicis ambiebant, rejecta toga, vulnera quæ pro Rep. cceperant, facilius populo probarent. ciunt omnes, qui tribus prensant, quam t res meticulosa, 'quàm faciunt, quanıque & quam sollicita cupiditas honoum. Omnia non modò quæ reprehenli palam; sed etiam quæ obscurè cogitaı possunt, expavescunt. Ea tamen tempestate qui in campo petebant, adeò non timuere, ne id vitio verteretur, ut contra summæ laudi ducerent. Quid, quod non pace solum, sed & bello togæ usus ingens? Non enim corporis celeritate, nec lacertorum robore res magnæ geruntur; sed consilio, & auctoritate, & sententiis, quibus vel maximè togati valent. Nec quisquam otiosos dixerit, quod aliis in campo præliantibus, ipsi in curia sententias dicant. Quasi verò gubernator navis otiosus sit, quod, dum alii malos scandunt, alii per foros cursitant, alii sentinam exhauriunt, ipse clavum manu tenens, sedeat in puppi quietus. Quasi olim Q. Fabius Maximus, L. Æmilius Paulus, & cæteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, Claudii, Catones nihil egerint, quum non bella gererent, sed

C 7 quo-

quomodo gerenda essent senatui præscriberent. Illud sanè palam est, maxima & difficillima bella à togatis gesta; nec impedimento fuisse lacinias, quo minus aut eminus hasta, aut cominus gladio decernerent; aut sublatis in capita scutis castra hostium expugnarent. Neque verò levia ea prælia quisquam existimet, quæ Quirites cum bellicosissimis Latii populis circa cunas quasi suas commisere. Eadem Latino arma, eadem castrorum disciplina idem in pugnando ardor fuit. Vicit nihilominus Romanus bello, & invictum ad commendationem vestis talaris argumentum attulit. Quid, quod clypei loco toga pugnaturis esse possit? Hoc quidem satis scio Corbulo ridebit, & Cupennius, & si qui alii ex genere varicosorum sunt: tamen Scipionis Nasicæ factum verum demonstrat. Is civitate seditiosis Tib. Gracchi actionibus in summum discrimen adducta, circundata lævo brachio togæ lacinia in tribunum irruit, remque publicam ab exitio præsentissimo liberavit. Egregium profectò facinus, & ad omnem posteritatem memorandum; adversus Tribunum plebis, cujus caput sacrosanctum, cum legibus, tum ingentibus catervis, & totius Italiæ frequentia subnixum erat, at-

tonitæ urbi ducem fuiſſe togatum: hunc optimates, hunc equitum, hunc intactam perniciosis conſiliis plebis partem ſecutos: hujus illa die depulſam à cervicibus Pop. Rom. ſervitutem: quæ niſi depulſa fuiſſet, homines ſagati, qui tum in Hiſpania rem gerebant, non erant habituri, ubi de Numantinis triumpharent. Quid, quod præſidium adverſus vim, atque injurias magiſtratuum adferre toga poſſit? Ponamus in eum nos incidiſſe Proconſulem aut Prætorem, qui cum faſces Pop. Rom. beneficio acceperit, iiſdem contra ſalutem potius, quam pro ſalute civium utatur. Poſtquam nudari tergum, atque ad palum deligari juſſerit; cum jam virgæ explicantur, ſecuris imminet, ſerum erit Valeriam recitare. Cum ille dixerit, LICTOR LEGE AGE, longum erit Porcias Semproniaſque memorare. Compendium interceſſionis fiet, fortiter clamando, TOGATUS SUM! CIVIS ROMANUS SUM! Nec in orbe duntaxat noſtro, ſed & in ultimis terris, atquè inter barbaros, vox illa, atquè imploratio opem feret. Tanta enim togæ amplitudo, tanta togati nominis dignitas, ut hoc tanquam propugnaculo, vel in media Scytharum ſolitudine, atque ad rupes Cau-

Caucaſeas tuti eſſe poſſimus. Quid, quod tam in morte, quam in vita ingens togæ prærogativa eſt? Honeſtiſſimè decedere exiſtimantur, qui adverſis vulneribus confecti, in ſago atque armis occumbunt. Verum non minus honeſtum eſt eorum fatum, qui togati cadunt; niſi dixeris omnes illos ignotis mortibus functos, quos non in campo, ſed in foro: non in acie, ſed in curia, & deorum templis proſtratos videris. Summum certè Imp. C. Julium Cæſarem profligatis feliciter tot bellis, ſubactoque orbe terrarum, in toga mori voluiſſe credibile eſt. Nam nec detectas inſidias cavit; & irruentibus conjuratis, ut honeſtius caderet, capite obvoluto ſinum ad ima crura deduxit. Quid, quod lenius atque communius mortem togati ferunt? Cùm enim quietè, purè, atque eleganter ætatem agant, præmium eos hoc comitatur, ut & levis ſenectus, & placidus ex hac vita exceſſus ſit. Feſſi annis milites plerunque juventæ robur requirunt, emortuoſque lacertos ſpectant ſimul, & deplorant. Togatos, ſi qua Medea recoquere velit, ut cum Æſone repueraſcant aut inter edentulos vagiant, valdè recuſent; nec velint decurſo jam vitæ ſpatio, à canis ad cunas reverti. Ita geſtiunt videre

dere diem illum, quo ex hac turba & colluvione discedant, & in illud animorum concilium cœtumque proficiscantur. Profectos, utros major gloria consequatur, sagatos, an togatos haud pronum judicatu est. Nam & bello res magnas gerere præclarum est; & pacis artibus pollere, inprimis arduum atque difficile. Nec promtè dixeris, quo tempore Scipio Africanus in excidenda Numantia reip. profuit, an minus profuerit P. Nasica, quum togatus seditiosum hominem Tib. Gracchum interemit Nec facile constitueris, quum Catilina excidium patriæ minaretur, alterque consulum exercitum conjuratorum acie sterneret, alter celeri consilio diligentiaque audacissimorum hominum manibus arma excuteret, orator, an bellator plus præstiterit? Vulgus quidem præclarius existimat, aliquot hostium millia prælio fudisse, ovantemque in urbem ingredi: nostro tamen judicio longè difficilius, atque adeò præclarius quoque est domi civem regere, quàm foris hostem ferire. Multi enim bello cum enituissent, pace obsoleverunt, quamque militiæ quæsierant gloriam; eam togatarum artium rudes in foro perdiderunt. Exemplo Cæso Fabius esse potest, qui cum

cum Vejentes equitatu immisso fugasset, nonne bello præclarus haberi potuit? Atquin Romam propè inglorius rediit; quia hostem vincere sciebat; civem imperio regere non poterat. Quid, Primi Antonii sub Vespasiano, nonne militaris scientia ingens fuit? quippe cujus opera Vitellius & pugnacissime Germaniarum legiones victæ fuerint. Destituit tamen gloria gestas res, nec par virtuti nomen fuit; quia togatæ prudentiæ rudis, nec gratiam Cæsaris in palatio, nec populi studia in foro demereri valuit. Quis porrò nescit, fortissimum virum, belloque optimum Maximinum Thracem fuisse? hunc tamen adeò non amavit bona fama, ut barbarie magis quàm virtute notus sit: quia dux potius fortis, quàm bonus Imperator erat, quidque inter civem & hostem esset ignorabat. Nihil nunc dicam de aliis, qui numero perquam multi, ac propè infiniti sunt; sed eo ipso minus clari, quod militares eorum laudes domestica aliqua infamia obscurarit. Quod si eorum animi in pace ita, uti in bello valuissent, æquabilius & constantius eorum res & nomen se habuissent. Etenim armis gloria paratur, non retinetur: parta sudore bellico togæ bonis roboranda est:
quan-

quandoquidem non semper bella, sed & pax est in Rep. præliorumque finis aut fœdus, aut victoria. Utriusque temporis bona malaque qui rectè composuerit, ejus facilè fama perennabit: Non ignoravit id M. Porcius Cato, cujus Livii monumentis virtus celebrata est, qui vim animi ingeniique ita intendit, ut non solùm militarem, sed omnes publicæ privatæque rei artes calleret. In bello fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis. Idem posteaquam ad magnos honores pervenit, summus imperator. Idem in pace, si jus consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios fortitudo extulit: huic ingenium ita ad omnia versatile fuit, ut ad id unum natum diceres, quod ageret. Quæ res effecit, ut non tantùm dum viveret omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum ante iret, sed post mortem quoque longè supra illos fama sit. Julium Cęsarem autem ad illud rerum & gloriæ fastigium, non tam militaris vittus, quam togatæ artes provexerunt, quas ita hauserat, ut inimici quoque faterentur, solum Cæsarem sobrium ad Remp. occupandam accessisse. Nec dissimulavit ipse,

ſe, quibus potiſſimum ſubſidiis niteretur, quum L. Sullæ fortiſſimo duci ad perpetuam dictaturam literas defuiſſe diceret. Cæſaris nomen, ſimul & gloriæ hæreditatem Auguſtus adiit, qui partum à patre imperium togata prudentia ita firmavit, ut nec cives Romani tædio præſentis Reip. veterem mallent; nec provinciæ uni magis, quàm pluribus parere abnuerent. Non Lepidus armis exutus, non Sextus claſſe ſuperatus, non Antonius bello victus, tantum ad principatum momentum attulere, quantum domi comitas, & erga cives manſuetudo. Qui huic ſucceſſerunt principes, multi quidem viri fortes habiti: pauci tamen pacis virtutibus clari, plurium bellicas laudes facile inumbrarunt. Inter hos T. Veſpaſianus eminet, qui civili prudentia adeptus eſt, ut amor Pop. Rom. & deliciæ orbis terrarum appellaretur. Nec vivum duntaxat & ſentientem, ſed mortuum quoque hic generis humani affectus proſecutus eſt; iiſdemque lachrymis, quibus domeſtica funera ſinguli, publicas exequias cohoneſtarunt univerſi. Trajanum quoque, principem laudatiſſimum, celebrant non tam bella, quæ multa & magna confecit, quàm togati mores,

&

& comiter habiti Senatus atque Pop. Romanus. Cum enim unum ex omnibus; nec minus civem, quam civibus præesse se meminisset; tanta pietate, abstinentia, mansuetudine imperium gessit, ut & castus, & sanctus, & optimus, & Diis simillimus princeps audiret. Taceo Nervam: taceo Hadrianum & Antoninos. Alexander Severus in medium procedat: quanta togæ gloria! quantus togatorum amor! qui nihil magnæ rei, nullum pacis jurisve negotium gerere sustinuit, nisi togatis ante in consilium adhibitis: quos cum multos coluit, tum inprimis Ulpianum parentis loco habuit. Ac ne militaribus quidem comitiis quenquam ducem aut tribunum rogavit, nisi qui cum armorum scientia literas conjunxisset. Togatos verò non amavit solùm, quod eorum consiliis feliciter Remp. gereret, sed & timuit, ne quid sinistri de se literarum monumentis commendarent. Quantum alienus ab eorum socordia, qui præsentis potentiæ fiducia sequentis ævi memoriam spernunt; nec persuaderi sibi patiuntur, facilius flagitia fieri, quàm conscientiam eorum aboleri: Puniri quidem ingenia posse; sed punitis auctoritatem gliscere, tyrannique secures ipsi dedecus, doctis gloriam immorta-

mortalem peperisse. Verum enim verò, ne his quidem exemplis diutius immorabor, sed altiore jam voce loquar, & quemadmodum demonstravi sagum absque toga vix inclarescere; aut certè claritatem armis partam retinere non posse; ita nunc contra docebo, togæ ad acquirendum gloriam sago nihil opus esse. Neque longis utar ambagibus; nam & fatigatos auditorum animos reor; & jam suapte sponte ad finem anhelat oratio. Unus M. Tullius ad id probandum nobis sufficiet. Homo Arpinas, novus, ignobilis, qua tandem via ad illud famæ culmen ascendit? quibus artibus ita emersit, ut nominis claritudine Galbas, Gracchos, Crassosque omnes superarit? Non manu, sed ingenio: non armis, sed toga bonus erat: ita patuit ad summos honores aditus; quemque paulo ante rhetorem, eum mox consulem vidit Roma: & illo quidem tempore, quo corruptissima erant comitia. Ad Remp. alii libidinem & cupiditatem, alii odium & furorem adferebant, eandemqae perdere, quam gerere malebant Orator cum amentiam ratione, libidinem pudore, audaciam consilio vicisset, ita patriæ rem gessit, ut pater ejus unus sui temporis haberi potuerit. Nec stante duntaxat

Rep. ingentes togæ fructus percepit, sed lapſante quoq; auream meſſem metuit. Etenim virtutis, & vitæ benè actæ conſcientia tanto pectus ejus munivit robore, ut toga tanquam muro aheneo tectus, nec inimicorum calumniis frangi, nec Reip. ruina potuerit opprimi. Operæ pretium eſt, qua conſtantia & fortitudine aut inſultantes adverſarios dejecerit, aut iniquiſſimam civitatis fortunam tulerit, ipſiusmet potius, quàm meis repetere verbis; quandoquidem animam civis laudatiſſimi exprimere non poteſt, niſi qui eloquentiſſimus idem fuerit. Cum C. Salluſtius, longa majorum ſerie tumens, generis ei obſcuritatem exprobraret, calumnioſiſſimam inimiciſſimi hominis linguam ita compreſſit. Ego meis majoribus virtute mea præluxi, ut ſi prius noti non fuerint, à me initium capiant memoriæ ſuæ. Noli mihi antiquos viros objectare: ſatius eſt me meis rebus geſtis florere, quàm majorum opinione niti;& ita vivere,ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Cum Appius Pulcher invidioſa criminatione objectaret, quod novus homo decedenti ſibi de provincia obviam non proceſſiſſet, hujuſmodi uſus exaggeratione: Appius Lentulo,

tulo, Lentulus Appio processit obviam: Cicero Appio noluit? justa indignatione motus orator, hominem inani nobilitatis opinione inflatum ita corripuit: Quæso, etiamne tu has ineptias? ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus, quàm ornamenta virtutis existimas? Cum ea consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum admiratus: viros eos, qui ea nobis reliquissent magnos arbitrabar Postea verò, quàm ita & accepi, & gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem, superiorem quidem nunquam, sed parem vobis me speravi esse factum. Rursus cum à plerisque principibus eo nomine invaderetur quod armis togam anteferens, se Cos. fortunatam Romam exclamasset, eam conscientia rectè dictorum fiduciam ei dedit, ut non modo non extimuerit carminis invidiam, sed & gloriosè defenderit. Ut alios, inquit, omittam, nobis remp. gubernantibus, nonne togæ arma cessere? Quæ res gesta est unquam in bello tanta, quis triumphus conferendus? licet enim Marce fili apud te gloriari, ad quem & hereditas hujus gloriæ

& fa-

& factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompejus, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in Remp. beneficio ubi triumpharet esset habiturus. Postremò, cum principum ambitione, partiumque studiis jam perdita esset Roma, & plerisque ex publico naufragio ne tabula quidem, aut truncus superesset cui adniterentur, Arpinas noster tam grande togæ solatium sensit, ut ne cogitaret quidem, quam dignitatem, quos honores, quem vitæ statum amisisset, sed memoria rerum pro Rep. gestarum se oblectaret. Nec timuit de Cæsare atque Pompejo scribere: Horum ego summorum Imperatorum non modò res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriori conflictati videmur. Quis enim potest aut deserta per se patria, aut oppressa beatus esse? & si rectè diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe sit: certè uterque istorum est miserrimus, quibus semper patriæ salus & dignitas posterior sua dominatione & domesticis commodis fuit. Ego verò præclara conscientia sustentor, cum cogito me de rep.

aut meruisse optimè cum potuerim, aut certè nunquam nisi divine cogitasse. O præclara togæ bona! O vim vestis talaris divinam & incredibilem! Perdiderant alii dignitatem, alii opes: utrisque morte gravior servitus ante oculos: quapropter tanquam manci atque abscissa dextera inutiles aut in exilium ibant, aut victoris clementiam respectabant. Arpinatis animus togatis virtutibus obfirmatus, adeò non expavit fortunæ trucem vultum, satis ut ostenderet, eripi bonis remp. posse, se sibi non posse. Parum in Hispania, parum in Africa, parum in Thessalia & campis, Philippicis actum fuit: manet invictum hominis togati pectus; aciliusque Cęsari Pompejum vincere, quàm oratori felicitatem extorquere. Ne M. quidē Antonii mucro quicquā m profecit, cum Romæ loquentis caput abstulit, & ætati senili paucos, qui superant, annos intercepit: famàm enim, rerumque gestarum celebritatem non abstulit, sed auxit. Vivit, vivetque per omnium seculorum memoriam, dumque hoc divina providentia factum naturæ corpus manebit incolume, oratorem posteritatis laudes, triumvirum diræ sequentur. Tam solida togæ gloria! ita robustum nomen! adeò valida felici-
tas

tas est! ut nec furca, nec ignes, nec gladii quicquam in eam juris usurpent. Nihil delicatorum cathedræ, nihil Palatini præla habent, quod cum hac contendant. Rara caligarum fama; brevis sagi felicitas est. Quid autem pallia quid pittacia nostra habent, quod togæ opponant? Toga, si originem requirimus, est antiquissima; sin auctores, sunt nobilissimi. Quod si usum & commoda exigimus constant longè maxima: sin ad res gestas adspicimus, fulgent toto orbe clarissime. Hæc obscuro genere prognato natalium sordes absterfit. Hæc novo homini curiam aperuit. Hæc rhetorem ad amplissimos honores provexit: nomen ejus orbi, famam astris æquavit. Quid restat igitur, studiosi juvenes, vos enim extrema orationis parte alloquor, quod, inquam, restat, aliud, nisi ut togam ambabus, quod ajunt, ulnis amplectamini? Si benè de vobis, auguror, ita nati estis, ut vel pace vobis, vel bello inclarescendum sit: utrumlibet genus sectantibus, grande ad felicitatem toga momentum adferet. Si quis lenem hanc & pacatam vitæ rationem expetit, togatus deget lenissimam. Sin asperam illam & castrensem maluerit, conjuncta cum sago toga facilius enitescet. Quid enim pulchrius? quid

admirabilius, quam robur cum prudentia, fortitudo cum justitia, victoria cum clementia, imperium cum comitate felici fœdere innexæ atque illigatæ? Quid autem divinius, quàm laureæ literas, armis eloquentiam, castrorum disciplinæ sapientiam indefessa animi contentione adjunxisse? Non alia profectò lege clarum nomen duces amat: aut si amat, communis amoris adfectus est, ac tanquam herba solstitialis repentè oritur, citò occidit. Est aliquid amplius, quod genium famæ, ævum viris donat; nec soli se sago facile imputat immortalitas. Toga nostra? toga illa? illa toga certissima gloriæ parandæ regula est: qua tanquam felici compendio ad astra itur: cujus decus rogo superat, & commendatio innumeris seculis canescit. Hanc vobis unicè unicam commendo. In hac si spes, opesque vestras collocaveritis, non timebo, ne aut laudes meas experimentum, aut vota vestra eventus fefellisse videatur.

ANTO-

ANTONII MATTHÆI

ORATIO III.

DE

INSTITUTIONUM UTILITATE.

Recitata Pridie Kal. Novemb. Anni 1637.



Uanquam A. O. in dicendo parum possum, locusque præsens magis interpretem, quam oratorem desiderat: imperare tamen animo nequeo, quin de Institutionum laudibus pauca dicam. Non quidem gravi illo & copioso dicendi genere, quo homines eloquentes uti solent, sed istoc humili atque leni, quod à docentis consuetudine non multum recedat. Neque deterrebit ab hoc argumento, quod arrogantes homines jactitant: nimis id vulgatum esse, atque à multis multifariam tractatum: in scenam qui descendit novo more, ab eo no-

vum aliquid inventum afferri debere. His enim breviter respondeo, plus apud me auctoritatis habere sapientum rationem, quam stultorum opinionem: itaque existimare, nunquam ad satietatem dici posse de rebus, quæ orationis fastidium utilitatis ubertate compensant. Quod, si quisquam in jurisperitorum thecis codex est, qui fructu & commodis censendus videatur, non alius profectò quam Institutionum libellus est: quam jure meritoq; alii comtissimum alii elegantissimum, alii aureum libellum appellitant. Non solum enim communi elementorum utilitate defenditur. Sed & propriis nominibus multis commendatur. Via, ut scribit optimus dicendi magister, opus est incipientibus plana, & cum ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita. Hanc munit ad universam Jurisprudentiam præsens libellus, non multis rubricis ob oculos ponens totius legitimæ scientiæ fundamenta. Nec rudem adhuc & infirmum animum studiosi multitudine rerum ac varietate onerat. Hoc enim qui faciunt, duorum alterum efficiunt; aut desertorem studiorum, aut serius perducunt ad id, ad quod leviore via ductus maturius pervenire potuisset. Ac licet prima cujusque disciplinæ rudimenta

menta ornatum non desiderent, doceri contenta, idemque patiantur quod mechanicorum opera, quorum fundamenta latent, fastigia spectantur: tamen Institutiones hæ non prorsus ab ostentatione sunt sepositæ: ornatu certe honesto & rebus ipsis convenienteglo-riantur. Ex tersissimis enim antiquorum Institutionibus; præcipue ex nitidissimis Gaji tam Institutionum, quam aureorum, sive rerum cotidianarum libris, nec non aliis veterum prudentum commentariis compositæ sunt. Et id quidem jussu invictissimi Imperatoris Justiniani per tresviros illustres, Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum: quorum omnium solertiam, & in rebus tractandis studium atque fidem, multis jam ante argumentis princeps cognoverat. Quare illud effectum est, ut liceret studiosis juris prima legum cunabula non ab antiquis fabulis repetere, sed ab imperiali splendore imbuere. Antea enim Iurisperiti, ut viderentur altius callere jura, circumstantibus discipulis Trebatium loquebantur, & Cascellium cum Ofilio; nec non Alfenum, & Auruncorum Sicanorumque leges jam diu ignotas, cum Evandri matre abhinc seculis obrutas multis. Postquam auspiciis Justiniani In-

ſtitutiones compoſitæ ſunt, tam aures quam animi juventutis nihil inutile, nihilque perperam poſitum, ſed quod in ipſis rerum obtinet argumentis acceperunt. Verum enimverò, etſi multis nominibus commendari hic libellus poteſt, mihi tamen in animo non eſt, ſingulas commendationis partes operoſius exequi, ne rerum copia obruat dicentis infirmitatem. Duobus argumentis in præſentiarum contentus ero; quorum alterum ab ordine, alterum à locis ſingularibus mutuabimur. Ordo res in rebus humanis pulcherrima, non poteſt non magnum ad laudes hujus libelli adferre momentum. Quemadmodum enim in area domum, in foro cives, in campo aciem;ita in gymnaſio literas laudat ordo. Orbis ipſe & univerſi fabrica,hanc quam cernimus pulchritudinem ab ordine habet: quem vel ſolum cum intuerentur olim gentiles,in denſiſſimis rerum divinarum tenebris numen deprehenderunt. Tanti certe ab omnibus doctis æſtimatur ordo, ut vel præcipuum apud eos eruditionis argumentum ſit, rerum de quibus dicendum eſt in ordinem optima collatio. Indocti autem tanquam ſorices confuſionis indicio ſe produnt,cui fere ſemper obſcuritas conjuncta eſt: quo autem

quiſque

quisque obscurior, eo etiam deterior sapientibus habetur. Quid mirum ergò, ab ordine potissimum nos libelli nostri commendationem derivare? Quæ quidem eo major erit, quo rectior & accuratior in hoc, quam in aliis juris civilis libris dispositio cernitur. Quid enim Pandectę, quid Codex habent, quo se Institutionibus anteferant, nisi copiam rerum, legumque varietatem? Ordo autem qui potest esse magnus in illis libris, qui compositi sunt ad normam & filum perpetui edicti, cum ipsius edicti nullus certus & rationi consentaneus fuerit ordo? Quoties disjunguntur, quæ conjungi, conjunguntur, quæ disjungi debuerant? Quam sępe ridendos se præbent interpretes quamlibet callidi & exercitati, dum librorum titulorumque seriem atque connexionem monstrare satagunt? Absunt longissimè ab artis præceptis, qui res diversissimas arte conjunctas in his libris autumãt. Ars illa, quæ ordinis mater atque præceptrix est, eas disciplinas, quarum scopus non contemplatio, sed actio est, ita tradi jubet, ut ante omnia præcipiatur finis: à fine ad objecta, ab objectis ad media fiat transitio. Ipsa autem media, quæ finis nos compotes faciunt, ita vult disponi, ut à facilioribus ad difficiliora, à pri-

primis ad poſtrema, a mediis ad infima recto tramite progrediamur. Has artis regulas Imperator non in Digeſtis, non in Codice, ſed in Inſtitutionibus obſervavit. Etenim, ne non tam juris, quam litigandi vias tradidiſſe diceretur, altè, & ut oportet, à capite exorſus, finem præfixit ampliſſimam illam & perfectã virtutem, quam juſtitiam appellamus. Planè ut neq; ex Prætoris edicto, neq; ex XII. tabulis, ſed penitus ex intima Philoſophia juris diſciplinam hauſiſſe videatur. Fini objectum adjecit, quod ſi univerſum quæramus, reſpublica eſt: ſin partes, perſonæ, res, & actiones. Media, per quæ finem adipiſcimur, ſunt jura & leges, tum naturales, tum gentium, tum propriæ cujuſque civitatis. Ab objectis deſumuntur nobiliſſimæ illæ diviſiones, quarum altera jus univerſum in publicum & privatum tribuit: altera privatum vel circa perſonas, vel circa res, vel circa actiones verſari docet. Porro jus perſonarum tribus quaſi capitibus conſtat, libertate, civitate, & familia. Tractatus de rebus partim rerum diviſiones, partim modos adquirendi dominia, partim obligationes rerum cauſa inventas exponit. Tertia vero de actionibus pars, & formulas quibus perſequimur quod nobis debetur,

tur,

tur, & accusationes, & judicia ipsa eorumque processum comprehendit. Hæc universi operis partitio: hæc summa legitimæ scientiæ capita sunt: quibus ab Imperatore breviter & perspicuè propositis, apparet eum jus civile, quod diffusissimum est, in parvum quendam angustumque locum naturæ atque artis conclusisse. Laudatur Aristoteles & optimo quidem jure, quod universa, quæ in rerum natura sunt, quæ non philosophantibus infinita videntur, in duo genera dispescuerit, in substantiam nimirum & accidens. Non minori merito laudandus Justinianus, quod universam veterem prudentiam, quæ vaga & infinita putabatur & constabat libris bis mille, versuum seu §. tricies centenis millibus, in ordinem redactam, paucis libellis sub obtutum posuerit. Nihil simile, ut diximus, in Digestis & Codice cernitur. Nam neque personarum jura, neque adquirendi dominii modi, neque obligationes ex contractibus & delictis descendentes, neque actiones continua serie, suoque omnes loco, sed variis libris sparsa, longoque intervallo disjuncta proponuntur. Ut merito quam laudem nobilissimus interpres Pandectis arrogare conatus est, eam nos Institutionibus ad-

ſcribamus: cohærere nimirum, digeſtaque eſſe omnia arte mirabili: Nec tam Triboniani, quam Gaii, Florentini, Marciani, aliorumque veterum prudentium ingenio, quorum ille veſtigia ſecutus eſt: Qui autem aliam deſiderant, vel comminiſcuntur artem, illos ineptiſſimos & imperitiſſimos eſſe; ac neque quid ars ſit, ſcire, neque artem Inſtitutionum, aut principia juris ulla percepiſſe unquam. Mihi quidem, quoties lego, ſummum illum dictatorem C. Julium Cæſarem de jure civili in artem redigendo cogitaſſe, divinare libet, eum ſi per fata licuiſſet, non aliam nobis artem, niſi ipſam illam, quam in Inſtitutionibus cernimus daturum fuiſſe. Certè M. Tullius in libro de legibus primo, eum ordinem, quem Prætores in edictis ſequebantur non obſcurè improbavit; videturque ejuſmodi aliquod opus exegiſſe, cujuſmodi poſt Alexandri ætas; quæ optimorum JCtorum feraciſſima fuit, dedit. Quapropter inſuper habendi nobis ſunt hac parte illi interpretes, qui poſt pulcherrimos Inſtitut. libellos juris civilis artem componere, id eſt, poſt Homerum Trojam, poſt Maronem Latium canere voluerunt. Ex his Johannes Apellus eſt, teſte Mynſingero non incelebris JCtus,
nec

nec non popularis noster Nicolaus Vigelius, adhæc Thomas Freigius; quorum primus de methodo juris civilis differens, primam de personis partem turpiter abscidit: Secundus regulis innumeris & exceptionibus: Tertius partitionibus nescio quibus universam prudentiam infelici conatu includere conati sunt. Plus hac in re præstitisse videri poterat vir undequaque doctissimus Joh. Bodinus, in ea tabula, quam universi juris distributionem esse voluit: sed præterquam quod ea tabula non est juris Romani peculiaris, cujus artem quærimus, sunt in ea non pauca, quæ doctis necessariò displicent. Hermannus quoque Vultejus popularis & præceptor noster, in eo libro, quem jurisprudentiam Romanam nuncupat, non parum contulisse judicandus est, nec tamen effugere potuit, quo minus in superiorem gregem referatur: quia in multis ab aurea Instit. methodo recessit: multas divisiones, multa vocabula ac loquendi figuras excogitavit, juri nostro prorsus incognitas. Qua re patet ab eo peccatum adversus philosophorũ præcepta, qui insolens in quaq; arte verbũ tanquam scopulum vitari jubent, nec quicquam innovari permittũt, nisi ubi vel evidẽs utilitas, vel penuria linguę id expresserit. Omnes

hos superasse facundissimi viri Fr. Connanus, Hugo Donellus videntur, iis commentariis, quos in jus civile edidere: sed præterquam quod præclaro operi Connani ultima manus deest; Donellus autem diffusus nimis: interdum etiam verbosus magis quam eloquens est, uterque a recta juris tradendi via aliquoties aberravit. Etsi igitur viri hi doctissimi fuere, tamen quantum ad dispositionem attinet, saniores fuisse illi videntur, quos Institutionum libellus ab istoc scribendi genere aut prorsus deterruit, aut ne longius inde recederent, adegit. Inter quos emicuit superiore seculo eruditissimus IC. ac non solum de jure, sed & de universa rep. literaria optimè meritus Fr. Hotomannus, qui cum partitiones juris scriberet, vix sibi indulsit ab eo ordine, quem Justinianus in Institutionibus observat vel latum ungem discedere. Nostra quoque ætate vir absque controversia doctissimus magnique ac subacti judicii, uno duntaxat nomine culpandus quod patriæ irasci sibi permiserit, Hugo Grotius, cum manuducere Batavos ad jurisprudentiam vellet, eodem prorsus clivo usus est, nisi quod suis quæque locis ex patrio jure inserserit. Nempe sciebant viri prudentissimi condita esse
omnia

omnia in Instit. ordine & arte tanta, quantam vix ullus hodie nobis conficere potest, aut poterit unquam. Definitionum & divisionum elegantissimarum plena omnia: juris veteris a novo separationem perspicuam: veteris sermone purissimo veterum: novi sermone Triboniani recenti: Cum quibus omnibus qui vel paria, nedum majora se facere posse speret, eum & frustra esse, & ridendi materiam aliis præbere. Verum satis de methodo: transeamus ad loca singularia. Singularia appello, quæ vix in aliis invenias, nostris alienisve autoribus. Quæ quidem enumerare, eo facilius erit, quod ea jam ante observarit, adnotaritque lumen & decus juris nostri Jacobus Cujacius. Hujusmodi est locus ille tit. de iis per quos ag. poss. quo docemur lege Hostilia cautum fuisse, ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes sunt, aut reip. causa absunt, quive in eorum cujus tutela sunt. Hujusmodi est inventorum codicillorum historia, non alibi tradita nisi tit Inst. de codicill. Et quod relatum est tit. de noxal. act. Servum noxæ deditum, si damnum sarcierit ei, cui deditus est, quęsita pecunia, prætoris auxilio invito domino manumitti. Unde præterea discimus, cur placuerit actionem furti mani-

festi,

festi, cum prætoria sit, perpetuam esse, nisi ex tit. Inst. de perp. & temp. act? Unde cognoscimus furem manifestum non solum eum esse, qui ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehenditur, sed & qui cum re furtivâ conspicitur, antequam quo destinavit perferat, nisi ex tit. Inst. de furt.? Unde commodius percipimus difficillimam actionum divisionem, quâ tribuuntur in actiones bonę fidei, stricti juris & arbitrarias, nisi ex tit. Inst. de action. Unde denique calculum actionum bonæ fidei inire nobis liceret, nisi is in eodem Inst. capite foret expressus. Taceo orationem D. Pertinacis tit. Inst. Quib. mod. test. infirm. Taceo quę de fiduciariis tutoribus traduntur tit. Inst. de fiduc. tutel. Taceo tria testameetorum genera, calatis comitiis, in procinctu, & per æs & libram, quæ solus Inst. tit. de testam. ord. enumerat. Adhęc non pauca alia de jure antiquo, etsi non prorsus necessaria, utilia tamen, & cognitu valde jucunda. Quarum omnium rerum cogitatione interpretes moti certatim in excolendas Inst. incubuerunt, non solum infimi, medioxumique, sed & summi in eo ordine viri. Ex veteribus enim pręter Accursium quem Cujacius optimum interpretem, & Latinis Græcisq; omnibus facile præferendum judicat, in easdem com-

commentatus est nobilissimus consultus Azo, quem Baldus ob ingenii acumen, & docendi dexteritatem vas electionis cognominavit: qui cum Bononiæ, ubi tum temporis decē millia studiosorum erant, jus interpretaretur, tanto concursu auditus est, ut reliquorum doctorum auditoria prope vacua ac deserta despicerentur. Ipse quoque Baldus, cujus tam læta fuit fama, ut existimatum sit, neminem scivisse, quod hunc latuerit, ad explicandas Institutiones animum adjecit. Ex recentioribus vero viri incomparabiles & æternitate famæ dignissimi, Æmilius Ferretus, Eguinarius Baro, Jacobus Cujacius, Franciscus Hotomannus, turpe sibi non putarunt etiam ea ætate, quæ majora flagitare videbatur, elementa civilia tractasse, quandoquidem sciebant, sicut absque radicibus & stirpe arbores; ita absque Institutionib. civilem scientiam succrescere non posse. Quę omnia cum ita ut dixi, se habeant, quid vobis faciēdum studiosi juris ornatissimi, qui prima spatia ingredimini; nonne librū hūc, quem & accuratissimus ordo, & loci singulares, & ingeniosissimorum hominum commentaria exornavere, diurna nocturnaque manu vos versare decet. Nec secreto duntaxat, silentique studio tractan-

tractandus, sed & publicè diligenter audiendus. Stratoclem Athenienſem legimus, necnon alios ejus collegas rhetores, quoties ad forum irent joco jactare ſolitos, ire ſe ad meſſem auream. Horum exemplo ego quoque vos ad auream meſſem & vellus illud Colchicum voco, Inſtitutiones nimirum juris Civilis, quibus qui imbuti non ſunt, iis ne aſpicere quidem honeſtè forum licet: quin e veſtigio ogganniri poſſit, quod Scævola Sulpitio, Turpe eſſe cauſas oranti, jus in quo verſatur ignorare. Invaſit ſanè pleraſque Academias, noſtræque nunc primulum obrepit morbus ille, ut negligentius publicæ lectiones audiantur. Cujus rei tot cauſæ eſſe oſſunt, quot ingeniorum diverſitates. Alii enim ſeſe amant, dumque αὐτοδίδακτοι videri volunt, pudet magiſtro operam dare. Hos non attingo: veriſſimè enim de illis paraſitus Comicus dixiſſe videtur, Nullam eſſe juventuti ſpem, ubi ſeſe amare occœperit. Ingens certe periculum illis imminet, ne idem patiantur, quod de Angelo Politiano fertur. Vir literatiſſimus, ingenio, doctrinæque multimodæ confiſus ſpernebat jurium doctores, gloriabaturque ſe ſuopte Marte gloſſematis juris civilis
vel

vel ipſum Accurſium ſuperare poſſe. Non tulit jactantiam hominis cæteroquin doctiſſimi Marianus Socinus, atque improviſa interrogatione aggreſſus petiit, ut ediſſereret, quis eſſet in jure ſuus hæres. Turbatus & primo congreſſu proſtratus obmutuit. Alii nimis patulas aures ſemidoctis præbent, qui clamitant, adoleſcentes in Scholis ſtultiſſimos fieri, quod nihil ex iis quę in uſu ſunt, audiant. His ego viri in foro æque atque in ſchola clari Eguinarii Baronis judicium oppono, qui tradit, Nihil in jure civili extare, quod non aliquando ad uſum fori & judiciorum traduci poſſit. Imperiti autem vocem eſſe: Hic titulus nihil ad farinam: cum plerumque vim atque poteſtatem tituli ignorent, qui ita dictitant. Inſtitutionibus certè adeò id convitium fieri nequit, ut ipſi illi qui forum duntaxat ſequendum judicant, iis tamen ſe carere non poſſe fateantur. Quamobrem & non ſolum Latina, ſed vernacula cujuſque gentis lingua leguntur. In hac certè urbe non deſunt advocati exercitati qui Inſt. beneficio primam forenſis contentionis pugnam feliciter ſe depugnaſſe gloriantur. Verum præter ſuperiores plerique privatis collegiis contenti, publicas lectiones ſupervacaneas judicant. Qui quidem

quidem ignorare mihi videntur, publicè quam privatim accuratius omnia, atque limatius tradi, ab iis qui officio suo rectè fungi, nec gratis congiariis frui volunt. Domi tyrones: publicè etiam adultos institui: Domi operam ad quæstum, foris ad famam dirigi. Illic discentium stultitiæ: hic sapientiæ regulis accommodari vocem. In illis festinationem, in his tardam maturitatem laudari. Piscatores illic esse, qui ne sine spe prædæ morentur in scopulo, eam hamis imponant escam, quam scierint appetituros pisciculos: Hic professores, qui non jucundis sed potius salubribus cibis pascant discipulorum ingenia, nec salutis duntaxat, ut medici, sed virium etiam & coloris rationem habeant ut aliptæ. Postremo docere olim non posse, qui docentes non audierit: nec inter exempla futurum, qui ad exempla aliorum se nũquam composuerit. His de causis, qui frui votis volet, nec spes suas ambitioni donare, doctorem publicum diligenter audiat, cogitetque optimum quemque magistrum frequentia delectari, ac majori se theatro dignum putare: minores verò ex conscientia suæ infirmitatis hærere in occulto, & officio fungi quodammodo pædagogorum non indignari. Quod si-

quis

quis est, quem hæ sapientum sententiæ minus moveant, excitetur saltem ad illud Imperatoris nostri classicum, in quo finio. Summa itaque ope & alacri studio has leges nostras accipite, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto posse etiam nostram Remp. in partibus vobis credendis gubernari.

ANTONII MATTHÆI

ORATIO IV.

SIVE

Præfatio recitata VI. Novemb. M DC XXXVIII.

Cùm auspicaretur lib. IX. *Codicis.*

GAjus (A. O.) legum antiquarum interpretationem facturus, ab urbis initiis auspicandum sibi putavit: eo, quod animadverteret præfationes istas, quibus remab ovo repetimus, & libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ invitare, & cum

eò

eò venerimus, evidentiorem præstare intellectum. Hujus excellentissimi viri vestigiis inhærens, pauca præfari volui, quam interpretationem, nobilissimi libri Codicis aggrederer. Ea autem in præfatione, non tam vulgi & lucripetarum auribus, quam sapientum animis me dedam. Scio gratissimam esse in vulgus orationem, quæ de quæstu & opimo cujusque materiæ proventu habetur. Nullius enim hactenus oratoris flosculi, nullius arculæ & myrothecia tantum in permovendis auditorum animis potuerunt, quantum valuit nuda, ac vix Latina Alexandri narratio, qui ad rubr. Dig. de vulg. & pup. subst. ex ore Raphaëlis Cumani retulit. Baldum ex sola substitutionum materia, lucratum fuisse respondendo, plus quam quindecim millia ducatorum. Nec ignoro prurire aures manusque iis, qui legunt Andream Barbatiam, ex uno consilio, quo respondit fratrum filios in stirpes succedere, plus triginta ducatos emunxisse. Ludovicum vero Romanum, uno responso, quo reum lege Cornelia defenderat, cappam, ut ipsius barbarismo utar, sericeam abstulisse. Incendit etiam Jasonis Mayni splendor, qui à Ludovico XI. Francorum rege opimi castri donatione, ad juris

*ris profe*ſſionem invitatus eſt. Exſtimulant Johannis Imberti verba, qui in *Inſt.* Forens. teſtatur, ex menſtruis diurnis, quin & horariis uſuris forenſium formularum, pleroſque in Galliis latifundia pretioſiſſima ſibi comparaſſe, opibuſque congeſtis claritatem generis tradidiſſe poſteris, ac eos tanquam in generoſas familias inſeruiſſe: Prorſus ad exemplum Gn. Flavii, Scribæ, & libertini generis, qui cum compoſitas ab Appio Claudio actiones populo tradidiſſet, & Trib. pl. & Senator, & ædilis curulis factus eſt. Verum, abſit à nobis procul, ut juriſprudentiam rem ſanctiſſimam numario pretio æſtimemus! Abſit, ut eam expetamus non quia honeſta eſt, & tota pulcherrima, ſed quia cauſidicis patrimonia novaſque lecticas parit. Non corporis oculis, ſed mentis acie contemplanda eſt; nec computandum, quid ſingulis annis referat, ſed fructus ex animo noſtro, & ipſius pulchritudine æſtimandi ſunt: quod ſi fecerimus, etiam ſine ſpe prædæ, mirabiles ſui amores excitabit. Magnus nobis Caroli Molinæi ſpiritus ſumendus eſt; qui quanquam fateretur, ingrata ſibi fuiſse ſtudia ſua, redactumque ad anguſtiam rei familiaris deſpicatui ſe eſſe novis homini-

minibus atque ambitiosis non dubitavit tamen magno pectoris robore tum consulentibus tum discentibus oracula dare, Scriptisque in ævum duraturis nominis sui famam posteritati commendare. Quare omisso proletario isto sermone, qui cerdonibus magis, quam sapientiæ studiosis convenit, audientiam à juventute ita me impetraturum confido, si tum de Codice, cujus partem nobilissimam de criminibus publicis privatisque exponendam, tum de ipsius materiæ amplitudine, atque utilitate pauca præmisero. Atque codicis quidem commune ante nomen, jure quodam excellentiæ, quam ἐξοχὴν Græci vocant, præsens Justiniani codex proprium sibi vindicavit. Est enim præstantissimus juris liber; seu materiam spectare velis, quæ magna sui parte ex utilissimis & tritis in foro constitutionibus constat; nec non jus sacrum in Instit. ac Dig. prætermissum continet: sive causam ac autorem requiras, quia singulæ leges in hoc opus relatæ ab Imperiali Majestate profectæ sunt. Gloriatæ sunt olim Athenæ Solone, Sparta Lycurgo, Locri Zaleuco, Roma Decemviris, alii aliis legumlatoribus: Potiori jure meritoque nos magno Justiniano gloriamur legumlatore, qui Remp. & armis

lis decoravit, & legibus ita armavit, inter paucissimos, qui utrumque tem- & bellorum & pacis rectè compo- runt, vel primus numerari queat. An- ipsum magno in pretio codex Grego- nus fuit: fuit & Hermogenianus & heodosianus, sed omnibus palmam æripit codex Justiniani. Gregorianus nim eas duntaxat venditabat constitu- ones, quæ erant ab Adriano ad Vale- ianum & Gallienum usque promulgatę: Hermogenianus constitutiones Claudii, Aureliani, Probi, Cari, Carini, Diocletia- ni & Maximiani: Theodosianus rescripta Constantini Magni & sequentium impe- ratorum, usque ad ipsum Theodosium: Justiniani vero codex, non has, non illas, non istas duntaxat, sed ex tribus ante di- ctis codicibus, nec non ex novellis post Theodosium editis, constitutiones ad ipsum temporis selectissimas. Hoc am- plius, cum Gregorianus, Hermogenia- nus, & Theodosianus, multa similia, mul- ta contraria invicem continerent rescri- pta, gloriosissimus Imperator Justinia- nus, felici mutationis compendio, quan- tum fieri potuit, è suo accuravit tolli contraria, similia, supervacua omnia. Iamque satisfecerat aliis, cum sibi non- dum satisfecisset, pronique studii cer-

E tissimo

tiſſimo indicie, propè ſupra vires niſus, poſt digeſta in unumcorpus immenſa veteris prudentiæ volumina, codicem iſtum ſuum ſub incudem revocavit, editumque iterum, codicem repetitæ prælectionis nuncupari voluit. Sciunt omnes, quæ ſit ſecundarum cogitationum felicitas? quam non obnoxium ſit invidiæ & maledicentiæ iterati laboris opus? Quicquid calamus, quicquid lingua admirabile habent, ad cumulum laudis perducitur induſtriæ alacri ſpiritu, & verſo ſæpe ſtylo. Quis igitur dubitet repetita prælectione, quantum acceſſerit huic codici laudis & pretii incrementum? Cui non conſtat Imp. multas quæ erant in priore editione limaſſe, multas detraxiſſe, multas addidiſſe, cum ſuas, tum alienas conſtitutiones. Inter quas, tanquam ſtellæ quædam lucidiſſimæ emicant deciſiones illæ, quæ vel Lampadio & Oreſte Coſſ. vel poſt eorum conſulatum ſunt publicatæ, quibus jus vetus controverſum, multiſque ambiguitatibus innodatum, ita deciditur, ita explicatur, ut Hydræ alicujus eliſa capita, nodoſque Gordios ſolutos jure dixeris. Nec ſuſtinuit id diſſimulare ipſe Imperator; dum in conſt. de nov. cod. fac. maximum hoc opus, & ad ſuſtenta-

tio-

tem Reip. pertinens appellavit; eo
d per id immensa litium prolixitas
rit resecata. Sed nec interpretes ab-
int, qui cum septem Pandectarum
tes, totidem sphæris & planetis com-
rassent, codicem his sublimiorem, o-
avæ sphæræ, innumeris stellis radianti
similantes, in libros duodecim, tan-
iam signa totidem Zodiaci distinctum
ixerunt. Popilium quidem Macrinum,
efert Jul. Capitol. in ejus vita, statuisse
omnia rescripta veterum principum tol-
ere, ut jure non rescriptis ageretur. Ne-
fas enim esse dicebat, leges videri, Com-
modi, & Caracallæ, & hominum impe-
ritorum voluntates, cum Trajanus nun-
quam libellis respondisset, ne ad alias
causas facta præferrentur, quæ ad gra-
tiam composita erant. Hunc Macrini de
rescriptis sensum, tametsi dicatur fuisse
vir in jure non incallidus, quis tamen
laudet? quis calculo suo comprobare au-
sit? Est, fateor, sua veteri prudentiæ laus,
& responsis JCtorum reverentia: nec sine
causa vetustas appellatione juris condi-
torum atque auctorum eos cohonesta-
vit: quis tamen neget multa constitutio-
nibus principum in melius mutata? Nam
ex JCtis, qui maximi sunt nominis, præ-
cipuæque dignationis, ii prisci juris anxiè

 nimis,

nimis, & superstitiosè reverentes fuerunt; de multis, tanquam stante adhuc Rep. locuti. Imperatores vero constitutiones suas, non tam seculo Decemvirorum, aut Q. Mutii, Coruncaniive, quam foro, & suis temporibus accommodarunt. Taceo, quàm fuerint illi in multis verbosi! quot, & quantæ in eorum scriptis repertæ dissensiones! Paulus Ulpiano, Juliano Celsus, Labeoni Capito, Proculo Cassius quam vixerint amici. Profectò eo usque contradictionibus crebris rem redegerant, ut destructa auctoritate sua, incertam & vagam fuerint nobis relicturi jurisprudentiam, nisi istæ digladiationes saluberrimis principum rescriptis fuissent sublatæ. Neque vero Commodus & Caracalla nobis objiciantur, monstra hominum nulla virtute redemta. Commodi enim constitutio relata est in hunc Codicem nulla, Caracallæ etsi aliquot extent; non tamen Bassiano potius, quàm Justiniano nostro accepto ferendæ sunt: qui ea in seligendo cura atque prudentia usus est, ut cum ratio constitutionis recta appareret, frustra existimaret auctorem incusari. Non enim, ut sapientes præcipiunt, quis, sed quid constituerit, videndum: cum possint à tyrannis quoque bonæ ferri leges, prudentium

viro-

rum si utantur consilio. Quemadmo-
Tiberium Capitonis, Caracallam Pa-
ani, Heliogabalum Ulpiani, Maximi-
Modestini opera usos legimus. Quorū
tis bonisq; constitutionibus, si quis u-
lum non esse putaverit, perinde meo
cio desipit, ac si quis neget, lavandum
optimis Neronis thermis, quod pes-
is fuerit, qui eas extruxit Imperator.
iderasse hoc mihi videtur sapiētissimi
Decemviri, qui exactis regibus, exole-
ie rogatione tribunitia, cum popu-
ncerti juris pertæsus, jus summum in
tate, & legū ferendarum potestatem
ledisset, sine odio & invidia multa in
decim tabulas regum placita retule-
, quod animadverterunt ex usu reip.
, ea sancte & inviolabiliter custodiri.
: quisquā propterea extitit, qui ausus
it dodecadelti istius pretio atque di-
ati detrectare; quin summis à viro sa-
ntissimo pariter atque eloquentissimo
llio in cælum laudibus fertur, qui bi-
thecis omnium philosophorum eas
ilas non timuit anteferre. Quis igitur
icem hunc nostrum jure culpet, quod
r titulos constitutionum reperiantur
iani, Maximini, Gallieni, Juliani,
entiniani nomina? Reperiebantur
em in tribus anterioribus codicibus,

nec tamen obſtiterunt, quo minus & clariſſimus Viſigothorum rex Alaricus, cum videret Romanos, quos bello ſubegerat, in reliquis quidem rebus obſequio promtos, ſed invitos admodum Gothico jure uti, ex innumeris juris civilis libris, codicem potiſſimum conſtitutionum imperatoriarum eis præſcriberet, ſecundum quem lites eorum deciderentur. Sed nec obeſſe potuerunt inviſa illa tyrannorum nomina, quo minus in celeberrimis quibuſque Academiis, publico auctoramento profeſſor aliquis conſtitueretur, qui hunc, de quo verba facimus, Codicem Juſtinianeum plenius, ſplendidiuſque interpretaretur. Ipſe Juſtinianus, quid hac de re ſentiret, conſtitutio de rat. & meth. jur. doc. ad anteceſſores ſcripta prodit, qua mandat, ut anteceſſores juris, quinto demum anno legitimi ſtudii codicem juventuti prælegant, quo perſpecto diligenter, nihil eis civilis ſcientiæ defuturum promittit. Eoque anno & προλύτας nuncupari ſtudioſos voluit, eo, quod in ſolvendis ambiguitatibus λύτας ſuperarent, & quaſi in procinctu ſtarent, mox interpretaturi ipſi, reſponſurique de jure conſultoribus. Et vero Imperatoris in docendo voluntatem ſecuti, præſtantiſſimi quique do-

a & ingenio viri, non solum è sug-
codicem hunc secundè copiose-
nterpretati sunt, sed & scriptis in
e ævum duraturis, alii totum, alii li-
selectos, alii rubricas illustraverunt.
io numero post veteres & Accursia-
merito suo, honorisque gratia à no-
ominantur ex Italis vir incompara-
Andreas Alciatus: Ex Gallis vir sum-
ohannes Corasius, Hugo Donellus,
ciscus Duarenus, Franciscus Hoto-
nus: Ex Germanis Belgisque Johan-
Sichardus, Hubertus Giphanius,
us Gilkenius, Diodorus Tuldenus,
um labores, nisi augurium me fallit,
nitati fama destinavit. Omnium ta-
lucubrationes, etiam eorum, qui
commentaria scripsere, viri excel-
issimi Jacobi Cujacii indefessa con-
io supergressa est, cujus aureum pa-
lorum opus apud sapientes tanta in
iratione est: ut in reliquis quidem
otis alios: in paratitlis codicis etiam
sum superasse visus sit. Hotomannus
e, quanquam æmulus illi, ac prope
nicus, tamen sine invidia ac simplici-
adversarii vires æstimans, tanti id o-
fecit, ut filium Johannem Hotoman-
n peregre in studia profecturum, cum
vidis Psalmis, paratitla ejus perpetuò

in itinere circumferre jusserit. Neq; vero Academici solum, sed & forensis turba in pretio atq; in deliciis hunc Justiniani codicem habet. Usu enim atq; experientia magistra didicerunt, ad locos juris atque capita invenienda longè reliquis libris codicem aptiorem esse. Unde non solum privatim plerique juris promtuaria juxta codicis seriem sibi concinnant: sed & publicè hujus præclara ediderunt specimina viri præstantissimi Antonius Faber & Paulus Christinæus, qui decisiones supremorum tribunalium, non temerè & fortuito confusas, sed juxta ordinem codicis diligēter & accuratè digestas ediderunt. Verum, pro ratione præsentis instituti, satis de codice dixisse mihi videor, admonet festinans hora, ut & de libro, quem cum bono Deo interpretandum suscepi, aliquid adjiciam. Qui quidem numero nonus est, sed pondere atq; utilitate primus, aut certè à primo secundus. Quapropter ad recitationum frequentiam, etiam atq; etiam vos, (A.O.) invito: quandoquidem vestra maximè interest, hanc materiam penitus cognitam & perspectam habere. Omnes enim, qui hic sedetis, quique sitientes aures civilis scientię rivulis imbui cupitis, olim aut causas oraturi, aut judicaturi, aut jus interpretaturi estis. Quartum

genus eorum, qui rerum tractatu
ſtati, nihil aliud in vita ſint acturi, in
hoc veſtro repertum iri, vix atque
ix quidem mihi perſuaderi patior:
iam legitimæ ſapientiæ finis non
emplatio, ſed actio eſt; neque privi-
à ſacratiſſimis principibus indulta iis
etunt, qui in umbra ſtudia ſua edu-
, ſed qui transferunt ad aliquem pu-
m uſum. Quaqua autem vorſum vi-
genii intenderitis, ſeu forum pla-
, ſeu cathedra arrideat, nequaquam
ta proceſſus erit, niſi etiam publi-
m privatorumque criminum accu-
nes atque leges ad unguem teneatis.
le anteceſſoribus, qui facundo ore,
ioq; ſtudio cupidæ legum juventuti
unt, nihil nunc dicam. Nemo enim
or negabit, ne anteceſſoris quidem
ine dignum eſſe, qui nō hanc quoq;
iminibus partem copiosè feliciterq;
nere queat. Nam ſi totū non eſt, cui
arva deſunt, quis antiſtitem legitimi
i eū dixerit, qui nō optimā ejus partē
teri poſſit. Et ſi hiſtrionibus turpe eſt
tremo actu corruere: nonne turpiſ-
m legum profeſſori ad conſpectum
um, atque in ipſo accuſationis limi-
oncidiſſe? Quod verò ad patronos
rum attinet, lucellum fateor, non

contemnendum, & Saturnalia plus satis fructuosa, civiles actiones eis reddunt, nec quisquã questus est, quod parum gratę sibi fuerint, aut stillicidiorum formulę, aut ambiguæ & perplexæ de substitutionibus atque fideicommissis controversię, verè tamen rem putantibus major glorię seges, & crescendi uberior materia ex accusationibus quam actionibus nascitur. Nam & defendere, & agere reum juxta gloriosum est, nec gratius Deo holocaustum, quam aut innocentem sævitiæ eripuisse, aut nocentem justo supplicio mactasse. Viri quidem boni defendere, quam accusare malunt, quia jam olim temporum injuria, atque principum crudelitas infame fecit delatorum nomen: non tamen ita id horrebit civis bonus, ut nullo neque publico, neque privato duci possit officio, ut aliquem ad reddendam vitæ rationem vocet. Nam & leges ipsæ nihil valent, nisi idonea auctoris voce munitæ: & si pœnas scelerum expetere fas non est, prope est, ut scelera ipsa permissa videantur. Quis tam horruit id nomen, quam horruerint olim Romani? Cum quadruplatores isti, & deforme delatorum agmen albo reti aliena piscarentur bona: semper tamen, ut Cicero autor exceptione major testatur,

hæc causa plurimum valuit: semper
ratio accusandi fuit honestissima,
sociis, pro salute provinciæ, pro ex-
rum nationum commodis inimici-
suscipere, ad periculum accedere, o-
m, studium laborem interponere.
nim, ut inquit ille, si probabilis est
m causa, qui injurias suas persequi
nt, qua in re dolori suo non Reip.
nmodis serviunt; quanto illa causa
estior, quæ non solùm probabilis vi-
, sed etiam grata esse debet, nulla pri
m accepta injuria, sociorum atque
corum dolore commoveri. Sanè
dum adesse debere, ut ne sæpius, ni-
eip. causa, accusemus, libenter fa-
. Duri enim hominis, vel potius vix
ninis esse videtur, periculum capitis
rre multis: cum id sit tum ipsi peri-
sum, tum etiam sordidum ad fa-
m, committere ut accusator nomi-
ur. Maximè autem & gloria paratur,
ratia defensionibus, eoque major, si-
ndo accidit, ut ei subveniatur, qui
entis alicujus opibus circumveniri
eatur. Quod si cui non in advocato-
n, sed in ipsis judicum subselliis sede-
contigerit, huic verò non minus, sed
juanto magis necessarium est, hunc
criminibus librum nocturna diurna-

que manu versare. Etenim judicis est semper in caussis verum sequi: patroni nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum defendere: quamobrem, Stoicorum gravissimo Panætio teste, & consuetudo fert, & humanitas patitur, ut eloquentiâ, quæ à natura ad salutẽ & conservationẽ hominum data est, interdum nocens defendatur; verum ut judicis imperitia & nocens & convictus elabatur, id vero nec ratio patitur, & prorsus turpe atque perfidiosum est. Quis autem verum semper sequi poterit, quis cavere rectè, ne aut sontes eripiantur, aut insontes opprimantur, nisi qui leges publicorum judiciorum in numerato habet? Qui cum sedrit, cogitet, non his judiciis de fortunis duntaxat, & re familiari agi; cujus aut levis jactura est, aut quam, qui male pronuntiant, sarcire facile per in factum actionem possunt: sed de fama, de capite, de vita hominis, quæ semel ablata restitui non possit; de qua nulla consultatio satis longa videri debeat. Qui cum judicandi causa tabellam sumserit, in memoria habeat, de quo cognoscat, qua lege reus citetur, quæ res in quæstione versetur: quibus indiciis ad tormenta, quot quibusve testibus ad condemnationem opus sit: ne lites omnes forte di-
rimen-

endas censeat, aut reum innocen-
i suam, duello, aut ferro candenti,
aqua ferventi docere jubeat. Qui
ato crimine, examussim sciat, quæ
ia, quibus delictis irroganda: ne scu-
dignum, horribili flagello sectetur,
gladio feriendum, salvis numis exu-
jubeat. Ne ob aprum venabulo tra-
im pastorem cruci suffigat, quod L.
nitium Siciliæ prætorem fecisse le-
us. Ne ob coturnicem jugulatam
nquam mortalium de malo navis su-
idat, quod in Erotem Ægypti procu-
rem statuisse Augustum comperi-
s. Ne ob vas crystallinum fractum
ninem murænis objiciat, quod jus
o dixisse Vedium Pollionem acce-
ius. Ne quod Scythis placuit scyphi
ei furtum capite puniat, aut quod
imis multorum moribus, adulterium
Denique ejusmodi esse judex debet,
& causam cujusque delicti expende-
orit: proposito, an impetu: impetu
casu aliquid admissum sit, & per illud
sianum, Cui bono, autorem crimi-
feliciter deprehendere. Et personam,
liter ex iisdem flagitiis puniat, liberos
er servos: aliter minores, aliter majo-
, aliter mares, aliter fœminas. Et lo-
n, ut sciat eadem flagitia in quibusdam

provinciis levius, in aliis gravius esse punienda: multum theatrum, multum concionem, multum prætoris conspectum facere ad exaggerandum scelus. Et qualitatem atque quantitatem, qua disparet furem à peculatore; furem à sacrilego; furem ab abigeo; furem parvum à magno; ne hunc in gemmis atque in auro, illum in nervo & compedibus ætatem agere sinat. Sexcenta hujus generis sunt, quæ perpendere ante judex debet, quam ad ultimam de capite hominis pronunciationem descendat: in quæ qui libri hujus imperiti sunt toties impingant necesse est, quoties in alicujus crimen fuerit inscriptum. Accursius quidem glossographus noster judicibus imperitis quodam loco suadet, ut imitentur imperitos equites, qui conscii sibi tyrocinii sui atque infirmitatis, sellam manibus apprehendere solent, ne à quadrupede ferociore excutiantur; eodem modo & illi verbis legum innitantur, & rubricas mordicus apprehendant, ne dum inter jus & æquitatem inspicere volunt, turpiter labantur, atque hominibus exercitatis risum præbeant. Verùm huic ejus consilio, qui & imperitus & præsentis materiæ rudis est, qui poterit obtemperare, cum id ipsum, quid leges jubeant, ignoret.

ret. Quapropter nihil perniciosius
eip. quam sedere hujus farinæ ho-
es in consilio, qui securi, nihilque
habentes, aut innocentes oppri-
t, aut nocentes absolvunt, aut cum
mum peccare volunt, tanquam pe-
Senatores, pedibus in aliorum sen-
as eunt. Contra remedium hoc est
tæ ac prope desperatæ Reip. præ-
ssimum; judiciis corruptis ac conta-
tis paucorum vitio ac turpitudine,
ines ad legum defensionem judicio-
que auctoritatem accedere quam
stissimos, quam integerrimos, quam
ultissimos. Atque hæc omnia, quæ
is nunc perstrinxi, quæque ab ho-
e aliquo eloquente, si otium suppe-
longè gravius, atque copiosius dici
rant, cum ita se habeant, ut nemo
gre frontis inficiari audeat, Vos, A.
ui non vobis tantum, sed vel inpri-
Reip. nati estis, summo studio ad-
or, ut hanc juris civilis partem, qua
de fortunis solum, sed & fama & vi-
minum agitur: quæ bonis præsidio,
s terrori est; quâ pestes Reip. Grac-
, Catilinas, Carbones, Sullas, Satur-
s, bonis, libertati, cervicibus nostris
inentes avertimus: quæ patronis
em, & facundiæ præmia, lictores

atque

atque fasces;judicibus virtutum pulcherrimarum severitatis, clementiæ, fortitudinis, magnanimitatis gloriam parit: hanc, inquam, juris civilis partem, libro codicis nono egregio artificio depictam atque descriptam unicè vobis commendo. Quam si diligenter excolueritis: adhæc, si in consilio habueritis religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, invidiam, cupiditatesque omnes amoveritis: postremò si maximi æstimaveritis conscientiam vestram, quæ à Deo immortali data à nobis divelli nequit, eaque optimorum consiliorum atque factorum in omni ætate testis erit, sine ullo metu, & summâ cum honestate in republica vivetis.

NTONII MATTHÆI

RATIO V.

DE

NNULO,

Recitata IX. Kal. Mart. Anni M DC XXXIX.

SEGERO UYTENBOGARDO,
mmos in Vtroque Iure honores conferret.

VEtus verumque ſapientiæ effatum eſt: Nihil in ſummo diu poſſe conſiſtere: ubi ad faſtigium claritatis quidque pervenerit, ægrè ſuſtineri; dein ire ceſſim; poſtremò derelante, quam deſcendat. Docu- ito cum alia multa, tum, ne longius imus, vel jus civile eſſe poterit, cujus nitio, donec Roma viris & virtute t, ſummo in honore fuit, atque à cipibus civitatis in poſſeſſione re- a. Poſtquam cum fortuna Quiritum i quoque mores decoxerunt, ut o- es dignitatis gradus, ſic hujus ſcien- ſplendor deletus eſt. Tunc à patri-

ciis

ciis ad plebem, à plebe ad blattas cimicesque migravit. Cum quibus diu luctatum, simul atque salutare sydus in Hetruria affulsit, primulum respirare, subinde eniti, postremò antiquum dignitatis culmen sperare occœpit. Verum, ut solent actutum vices rerum mutari; ita præsenti quoque tempestate paulatim retrò sublabitur, atque à nobilibus adolescentibus contemta, propè ad lippos & tonsores relegatur. Cujus rei causas investiganti, multæ quidem occurrunt, sed, meo judicio, haut minimi censenda momenti, quod aut præmia rei pulcherrimæ condigna non dentur, aut magnitudinem eorum quæ dantur, juventus ignoret. Hæc me ratio impulit, ut cum omninò in hoc amplissimo consessu declamandum esset, de anulo ejusque prærogativis verba facere voluerim. Nam cum ante togæ bona quantum in me fuit, oratione illustraverim, nunc si ad togam accesserit anuli fulgor, futurum spero, ut majore impetu studiorum præmia juventus petat, nec transferat ingenii vim ad rerum turpium certamen, quas magno jam honore uberique quæstu apud vulgus vigere videt. Quanquam verò plurima, penè dixerim infinita sunt, quæ de anulo gestiunt memorari,
tamen

a ne vel obruam auditores, vel ob-
pſe argumentorum multitudine,
nem omnem ita partiar, ut præci-
uidem contentio cum auditoribus
it: quæ verò ſuperſunt, ea cum ad-
candidato loquar. Contendam au-
llud imprimis, ut temporum per-
as, & inſtructa ad omne nefas ſecu-
ntia, promiſcuum fecerint anuli u-
non eo tamen minus ſtudioſæ ju-
ti expetendum eſſe, quod antiquis
bus, & rectæ rationis inſtituto, non
irtute excellentibus fuerit tributus.
e hujus rei gratia, poſtquam animi
iique vires, quamlibet modicas in-
, conſenſum quendam gentium
hendiſſe mihi videor, quæ cum
modò ampliſſimis terrarum ſpatiis
iviſæ, ſed & jure atque legibus im-
um diſparatæ, in eo tamen linguis
iſque conſpiraverunt, virtutis hoc
fideique ſymbolum; quo civem or-
fas non ſit, niſi virtute idem atque
inte reliquos cives emineret. Ne-
erò ab uno duntaxat, alterove ſe-
id repeti, ſed penitus ab ultima an-
tate poteſt arceſſi. Errat enim op-
s ſeverioris Minervæ magiſter Pli-
, dum levi conjecturâ ductus, anu-
lio Argiviſque inferiorem putavit,
eò

eò quod pater ille Poetarum, delectos Heroas, condendis rebus pretiosioribus, non cera, sed intorto nodo usos memoret. Quid plenius? quid apertius? cum sacer codex nos doceat, multis ante Trojam seculis vetustissimis mortalium Assyriis, Hebræis, Ægyptiisque usurpatum, magisque inventorem, quam inventionem ea tempestate latuisse. Quam causam fuisse Græcis opinor, cur fictis fabulis auctorem hujus gestaminis Promethea facerent: Ut enim alia omnia, quorum inventor propter antiquitatem ignoratur, ad aliquem deorum, semideorumve: ita hujus quoque rei laudem fabularis historia à vero ad figmenta transtulit. Prima verò anuli mentio illo cœlestis oraculi capite fit, quo ardentis soceri scelus, cũ infelici nuru commissum narratur. Turpi quidem commento audax mulier rei pulcherrimæ usum ad incestũ convertit, quique nubentium pronubus esse solet, stupri sequester anulus extitit; sed tamen eo ipso, quo procax fœmina, pignora poscens, vel inprimis anulum flagitavit, intelligimus, jam tunc maximum hoc & sacrosanctum fidei adimplendæ vinculum fuisse. Nec fidei duntaxat datę symbolum, sed & dignitatis atque existimationis argumentum. Nam potentissimus

lla ætate Ægypti rex, cum ob rese-
cœlestis consilii arcana, & aversam à
lo totius septennii famem, Jose-
divinæ voluntatis interpretem,
issimi regni vicarium creare vellet,
alia regiæ dignitatis insignia, etiam
im digito suo detractum ei donavit.
e quoque, penes quos summa orbis
Assyrios stetit, tanti fecerunt hoc
tis ornamentum, ut anulum nisi re-
unere ferre nemini licuerit; cuique
augusta liberalitate oblatus, is eo
in cohortem regiorum amicorum
criptus existimabatur. Quamobrem
erus rex, cum Mardochaum Judai-
entis virum, ob detectam adversusse
um cubiculariorum conjurationem,
umerum purpuratorum cooptare
t, anuli traditione, tanquam pecu-
ordinis istius gestamine, id fecisse
ur. Apud Carthaginenses verò, flo-
ibus Pœnorum opibus, tanti æstima-
r aureorum anulorum jus, ut fortitu-
s bellicæ id esse præmium voluerint,
ue numero expeditionum militibus
singulos donarent: Nec quisquam
, qui istam sanguinis mercedem as-
aretur, aut minus à Rep. datum sibi
ret, quod post gravissima militiæ di-
nina, laboris atque vulnerum hosti-
mentum

mentum vix totam auri unciam caperet. Non enim pecuniarum magnitudine, sed virtutis testimonio præmia metiebantur, & magis quid, quàm quantum sibi esset tributum, cogitabant. Romanis hac parte non absimiles, qui civitatis conscientia contenti, non eas solùm coronas expetivere, quas ex auro factas imperator illis donabat, qui primi aut castra hostium introiissent, aut murum superassent, aut in navem hostilem armati transiliissent; verùm etiam myrteam, qua ovans, & quernam, qua servator civis; postremò gramineam, qua liberator obsessæ urbis gaudebant. Porrò, non apud cultas duntaxat gentes anulus in pretio, sed apud barbaras quoque in honore fuit. Atque aliis quidem aurei, aliis ærei, sunt & quibus ferrei placuerunt. Ut enim Europam prætercam, atque illam non hominum duntaxat, sed & humanitatis parentem Asiam, est in extremis Africæ finibus, ultra Atlantem & cœli columnas Guineæ regnum, tantum ab elegantiori cultu remotum, quantum Oceano ab Europæis Asiaticisque seclusum. Cujus incolæ etsi auro, ebore, rebusque aliis, quarum affluentiam cupidum vulgus divitias vocat, abundent, virtutis tamen insignia stanno potius, ære, atque ferro ex-

imunt. Matronas quippe nobilio-
plebe non aurum, non ebur, non
cæ ancillarumque greges, sed fer-
in crure anulus discriminat. In eo
nostris consentientes, fidei, virtu-
x dignitatis insigne anulum esse; di-
in isto, quod cum plerisque populis
lli species nobilissima probaretur,
mam ipsi maluerint. Rectius Catti
es, quibus anulum ferreum gesta-
m decus, sed probrum fuit, eo quod
llorum & servitutis notam præfer-
leretur. Quamobrem & à fortissi-
noque sumebatur, tanquam cædis
is atque vulnerum auctoramen-
quo exauctorari fas non erat, nisi
alicujus perduellis ipse se absolvis-
Atque hac quidem parte animad-
Martium hunc populum, quamvis
a adhuc literarum, & aure crassa fa-
n, non longè tamen à Græcorum
ne abfuisse, qui cum agnoscerent
o vinculorum modum, pœnę cau-
um ferreum Promethei gestatum
ntur. Promethea enim, cum pro-
gnem cava ferula è cœlo surrep-
iratus Jupiter rupi Caucaseæ alli-
Hercules Jove indulgente libera-
e tamen lege dicta, ut in memo-
inculorum anulum gestaret fer-
reum,

reum cui ſaxi fragmentum eſſet incluſum. Nec prorſus alieni à Græcorum ſenſu Romani, quibus in luctu, & funeribus, aut Republica malè geſta, depoſitis aureis, ferreos digitis indidiſſe ſolemne fuit. Priſci Quirites, fateor, ante quam ſpoliis Aſię Macedoniæque ditati eſſent, & infeſta virtuti ſigna Syracuſis veniſſent, anulorum libidinem in ferro habuere: ejuſdemque materiæ arrhabonem ſponſi ſponſis dono dare conſueverant: verum magnæ id veterum paupertatis atque continentiæ argumentum fuit. Nam tum temporis, cum patella argentea Fabricii corneo pediculo ſuſtineretur; cum ligneo catillo cœnaret Curius, cum Cato pellibus hœdinis lectos ſterneret; cum panem aratro quærerent Regulus & Cincinnatus; cum ſexdecim Æliis una domuncula, unus in agro Vejente fundus ſufficeret: cum Valerius Publicola, & Agrippa Menenius cenſu ne quidem ad exequiarum impenſam ſufficerent; tanta auri penuria Romæ fuit, ut ii ſolum, qui legatione functi erant, aureos anulos dono acceptos in publico geſtarent; omnes autem intra domum ferreis uterentur. Ac licet Plinius, cujus ſeculo patrimoniorum modus in immenſum excreverat, teſtetur ſua quoque ætate anulum

n ferreum, eumque sinè gemma,
æ mitti solere; tamen id ex disci-
severioris ævi retentum; nec sinè
vetustatis reverentiam, etiam au-
opibus, inter jugales imprimis va-
, intellectu proclive est. Neque e-
solo ferro legitimis verbis pactam
rrabat sponsus; sed postquam stipu-
ne ultrò citròque facta, anulum au-
n dedisset, ferreum mittebat do-
n, ut eo signo admoneretur socia di-
humanique juris futura, domus prę-
iè curam custodiamque sibi injungi,
que intra parietes aut dominos falle-
ut furibus prodesse possent, ea omnia
icita diligentia sibi esse obsignanda.
jus rei conjecturam vel ex aureis
rtulliani scriptis capere licet; qui,
n questus esset, nullum inter matro-
atque prostibulas de habitu discri-
n relictum ita porrò in mores & tem-
a invehitur: *Circa fœminas etiam illa*
jorum instituta ceciderunt. quæ modestiæ,
sobrietati patrocinabantur, quum aurum
lla nosset, præter unico digito, quem spon-
oppigneraßet pronubo anulo. Isidorus au-
m, quum dixisset, fœminas non usas
nulis, nisi quos virgini sponsus miserat,
iam binos aureos in digitis habuisse,
statum reliquit. Verùm redeo unde di-
F gressus

gressus sum: Etiam barbaris gentibus anulum in pretio fuisse, ne iterum mare Atlanticum, & Herculis columnas transire nobis necesse sit, vel soli Germaniæ magnæ populi indicio sunt: apud quos cum feuda eorumque investituræ valerent, etiam ante quam humanitatis cultum induissent, anuli prærogativa plurimum valuit. Non solum enim hasta, & gladio, sed & anulo vasallos suos investiebant, ut hoc auctorati sacramento scirent, & quid beneficii à domino sibi esset collatum, & quam contra fidelitatem patrono clientes deberent. Nempè qua pace, qua bello caput ejus sacrosanctum habere: ita suspicere, ita tueri, ut tua quoque fortia facta gloriæ ejus assignes: ut in aciem non sequi, crimen; deseruisse, æternum opprobrium putes. Neque verò minora duntaxat feuda, sed & majora, quæ regalia Longobardicarum consuetudinum interpretes vocant, regna denique tota & imperia hoc signo tradita fuisse legimus. Regem enim Romanorum Tritemius scribit per gladium armillas, sceptrum, coroniam, globum, anulum & purpuram inaugurari. Sacerdotia quoque regalia, quos episcopatus & abbatias nuncupant, olim vel per anulum & virgam conferri solitum Sigebertus

bertus prodidit: nunquam profectò proditurus, nisi præter sceptrum, coronam, & gladium, anulus quoque grande ad dignitatem argumentum adferret. Feci libenter, A. O. ut hoc loco Germani in partes venirent, in primis Catti; quorum aut pars, aut soboles Batavi Hessique sumus. Sed quanquam sacrata optimo cuique majorum memòria est, præcipuus tamen nobis sermo de Romanorum institutis erit: non solum quod armis atque sapientia reliquos mortales prætergressi sint, sed vel inprimis, quod nunc de pręmio Romanæ jurisprudentiæ nobis disceptatio sit. Apud hos igitur, quos dico, rerum totiusque propè orbis dominos, anulus aureus eo in honore fuit, ut ordinem equestrem à promiscua multitudine segregaret, essetque commune equiti cum patribus conscriptis gestamen. Postquam licentia temporum usus eviluit, inque ordinis utriusque ornamenta petulans plebes invasit, illud tamen diutissimè ex bonis moribus retentum, ut anulus ingenuos à libertinis discerneret: nec cuiquam etiam indepta libertate aureum ferre licuit, nisi id jus, porrecto libello, à principe impetrasset. Justinianus demum Cæsar, inclinatis jam imperii viribus, tanto omnes anteriores principes huma-

nitate ſuperaturus, quanto pleriſque ipſe virtute inferior erat, jus aureorum anulorum manumiſſis nullo diſcrimine conceſſit. Quàm rectè, & loci, & temporis alterius eſt: vereor tamen ut quemadmodum alia multa, ita hoc quoq; honeſtius, quàm licetius feciſſe videatur. Porrò licet pleriſque in rebus plus militibus, quàm paganis vetuſtas indulſerit, diſcrimen tamen non domi ſolùm, ſed & militiæ obſervatum. Primores enim militum, aut qui re magna & æſtimatione erant; tribuni, præfecti, centuriones, decuriones, quive à prætore ob rem fortiter geſtam hoc jure donati erant, anulos aureos geſtabant; reliqui ferreos. Nimirum ut diſceret gregarius miles, conſpecto in commilitonum digitis auro, gloria virtutem ſtimulante, & præclara eorum facta æmulari. Primus Septimius Severus, quod hactenus virorum fortium ornamentum fuerat, omnibus caligatis promiſcuè conceſſit; cujus tamen placitum ſuſque deque habendum cenſeo; quandoquidem conſtat, multa ambitioſius exercitui largitum, eo quod abſque SCto, à militibus imperator ſalutatus, non niſi militum præſidio imperium retinere ſe poſſe ſperaret. Equeſtris igitur ordinis inſigne & geſtamen cum anulus aureus

fuerit,

fuerit, agite, quo honore, quave dignatione ordo ipse claruerit, expendamus. Multis hoc indiciis colligere possumus. Nam & origo antiquissima est, & post patres, ex reliquo civium numero honestissimi quique, ac virtute maximè conspicui in istas turmas adsciscebantur. Idem enim, qui urbis conditor Romulus, cum populum in curias triginta, tribus tres divisisset: totidem equitum centurias, eodem quo tribus nomine insignitas conscripsit. Ramnenses ab ipso: ab Tito Tatio Titienses appellati: Lucerum, ut Romanæ historiæ scriptor ait, nominis & originis causa incerta est. Postquam Romulum Dii cœlo vindicassent, desiissent etiam in terris agere sanctus Numa, Tullus Hostilius, & Ancus Marcius, qui hos excepit Tarquinius Priscus, cum equitem maximè suis viribus deesse cerneret, numero ab Romulo instituto alterum tantum adjecit, ut mille trecenti celeres in tribus centuriis essent. Tarquinium Servius Tullius secutus est: is distributo in classes centuriasq; populo, equitum ex primoribus civitatis centurias duodecim conscripsit. Sex item alias è tribus à Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erāt, nominibus fecit, ut essent in universum in civitate

solis equitibus, aut mixtim equitibus senatoribusque fuerint concredita, eaque purissima pars civitatis haberetur, quis de fide, virtute, dignitate equestris ordinis amplius dubitare ausit? Quis nescit, homines qui ad legum defensionem, judiciorumque auctoritatem accedunt, quantum sella supra vulgi coronam eminent, tantum & integritate, diligentiaque extare debere, ut possint, quem oderint absolvere, quem diligant condemnare: ut habeant in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem: utique omnibus in rebus conscientiam suam, tanquam mille testes revereantur. Sed hæc quidem equestris ordinis decora domi nata: videamus foris & militiæ quanta fuerit obtenta gloria. Res profectò ab equitibus præclarè gestas reperiemus multas: nam & primi prælium inibant, & ultimi confecto prælio excedebant, nec ex equo duntaxat, sed etsi natura loci flagitaret, collato pede pugnabant. Possem hic memorare quas acies jam inclinatas equester ordo restituerit; quoties dimissis equis pedites ipsi conflixerint, maximasque perduellium copias ad internecionem ceciderint, nisi res longius ab incepto me revocaret. Gravissimum sanè veritatis indicium hostis confessio perhibetur:

betur: neque enim fatetur, nisi cum res ipsa clamat: nec laudat, nisi supra obtrectationem virtus sit. Sufficient ergò nobis ad probandum quod volumus, ea, quę hostis Pop. Rom. Perseus Macedonum rex de laudibus hujus ordinis disseruit. Is inter initia belli prælio equestri victor, cum exercitum summo discrimini firmare vellet, non majus orationis pondus invenit, quàm quod prospera ei pugna subministrabat. Præjudicatum, inquit, belli eventum habetis: meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo invictos se esse gloriantur, fudistis. Equites enim illis principes juventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Horum spolia paulò ante divisimus inter vos. Quod si acie decernere volent, eundem pugnæ pedestris eventum expectate, qui equitum in certamine fuit. Huc usque Perseus. Illud haut prætereundum duco, constitisse huic ordini dignitatem, non solum libertate Pop. Rom. salva, verum etiam à Cæsaribus jam oppressa: adeò quidem ut Augustus ipse orbis dominus, cum de elocanda filia deliberaret, de equitibus quoque nonnullis cogitaverit, Sejanusque eques Romanus ad matrimonium Liviæ,

reum cui saxi fragmentum esset inclusum. Nec prorsus alieni à Græcorum sensu Romani, quibus in luctu, & funeribus, aut Republica malè gesta, depositis aureis, ferreos digitis indidisse solemne fuit. Prisci Quirites, fateor, ante quam spoliis Asię Macedoniæque ditati essent, & infesta virtuti signa Syracusis venissent, anulorum libidinem in ferro habuere: ejusdemque materiæ arrhabonem sponsi sponsis dono dare consueverant: verum magnæ id veterum paupertati atque continentiæ argumentum fuit. Nam tum temporis, cum patella argentea Fabricii corneo pediculo sustineretur; cum ligneo catillo cœnaret Curius, cum Cato pellibus hœdinis lectos sterneret; cum panem aratro quærerent Regulus & Cincinnatus; cum sexdecim Æliis una domuncula, unus in agro Vejente fundus sufficeret: cum Valerius Publicola, & Agrippa Menenius censu ne quidem ad exequiarum impensam sufficerent; tanta auri penuria Romæ fuit, ut ii solum, qui legatione functi erant, aureos anulos dono acceptos in publico gestarent; omnes autem intra domum ferreis uterentur. Ac licet Plinius, cujus seculo patrimoniorum modus in immensum excreverat, testetur sua quoque ætate anulum

m ferreum, eumque sinè gemma, sæ mitti solere; tamen id ex disci- severioris ævi retentum; nec sinè vetustatis reverentiam, etiam au- opibus, inter jugales imprimis va- , intellectu proclive est. Neque e- solo ferro legitimis verbis pactam rrabat sponsus; sed postquam stipu- ne ultrò citròque facta, anulum au- dedisset, ferreum mittebat do- , ut eo signo admoneretur socia di- umanique juris futura, domus præ- curam custodiamque sibi injungi, ue intra parietes aut dominos falle- t furibus prodesse possent, ea omnia ita diligentia sibi esse obsignanda. s rei conjecturam vel ex aureis llliani scriptis capere licet; qui, questus esset, nullum inter matro- tque prostibulas de habitu discri- elictum ita porrò in mores & tem- nvehitur: *Circa fœminas etiam, illa m instituta ceciderunt, quæ modestiæ, brietati patrocinabantur, quum aurum osset, præter unico digito, quem spon- gnerasset pronubo anulo.* Isidorus au- quum dixisset, fœminas non usas , nisi quos virgini sponsus miserat, binos aureos in digitis habuisse, um reliquit. Verùm redeo unde di-

 gressus

gressus sum: Etiam barbaris gentibus anulum in pretio fuisse, ne iterum mare Atlanticum, & Herculis columnas transire nobis necesse sit, vel soli Germaniæ magnæ populi indicio sunt: apud quos cum feuda eorumque investituræ valerent, etiam ante quam humanitatis cultum induissent, anuli prærogativa plurimum valuit. Non solum enim hasta, & gladio, sed & anulo vasallos suos investiebant, ut hoc auctorati sacramento scirent, & quid beneficii à domino sibi esset collatum, & quam contra fidelitatem patrono clientes deberent. Nempè qua pace, qua bello caput ejus sacrosanctum habere: ita suspicere, ita tueri, ut tua quoque fortia facta gloriæ ejus assignes: ut in aciem non sequi, crimen; deseruisse, æternum opprobrium putes. Neque verò minora duntaxat feuda, sed & majora, quæ regalia Longobardicarum consuetudinum interpretes vocant, regna denique tota & imperia hoc signo tradita fuisse legimus. Regem enim Romanorum Tritemius scribit per gladium armillas, sceptrum, coroniam, globum, anulum & purpuram inaugurari. Sacerdotia quoque regalia, quos episcopatus & abbatias nuncupant, olim vel per anulum & virgam conferri solitum Sigebertus

ertus prodidit: nunquam profectò proiturus, nisi præter sceptrum, coronam, gladium, anulus quoque grande ad dinitatem argumentum adferret. Feci lienter, A. O. ut hoc loco Germani in artes venirent, in primis Catti; quorum ut pars, aut soboles Batavi Hessique funus. Sed quanquam sacrata optimo cuique majorum memoria est, præcipuus amen nobis sermo de Romanorum institutis erit: non solum quod armis atque apientia reliquos mortales prætergressi unt, sed vel inprimis, quod nunc de prenio Romanæ jurisprudentiæ nobis disceptatio sit. Apud hos igitur, quos dico, erum totiusque propè orbis dominos, anulus aureus eo in honore fuit, ut ordinem equestrem à promiscua multitudine segregaret, essetque commune equiti cum patribus conscriptis gestamen. Postquam licentia temporum usus eviluit, inque ordinis utriusque ornamenta petulans plebes invasit, illud tamen diutissimè ex bonis moribus retentum, ut anulus ingenuos à libertinis discerneret: nec cuiquam etiam indepta libertate aureum ferre licuit, nisi id jus, porrecto libello, à principe impetrasset. Justinianus demum Cæsar, inclinatis jam imperii viribus, tanto omnes anteriores principes huma-

nitate ſuperaturus, quanto pleriſque ipſe virtute inferior erat, jus aureorum anulorum manumiſſis nullo diſcrimine conceſſit. Quàm rectè, & loci, & temporis alterius eſt: vereor tamen ut quemadmodum alia multa, ita hoc quoq; honeſtius, quàm licetius feciſſe videatur. Porrò licet pleriſque in rebus plus militibus, quàm paganis vetuſtas indulſerit, diſcrimen tamen non domi ſolùm, ſed & militiæ obſervatum. Primores enim militum, aut qui re magna & æſtimatione erant; tribuni, præfecti, centuriones, decuriones, quive à prætore ob rem fortiter geſtam hoc jure donati erant, anulos aureos geſtabant; reliqui ferreos. Nimirum ut diſceret gregarius miles, conſpecto in commilitonum digitis auro, gloria virtutem ſtimulante, & præclara eorum facta æmulari. Primus Septimius Severus, quod hactenus virorum fortium ornamentum fuerat, omnibus caligatis promiſcuè conceſſit; cujus tamen placitum ſuſque deque habendum cenſeo; quandoquidem conſtat, multa ambitioſius exercitui largitum, eo quod abſque SCto, à militibus imperator ſalutatus, non niſi militum præſidio imperium retinere ſe poſſe ſperaret. Equeſtris igitur ordinis inſigne & geſtamen cum anulus aureus

fuerit,

erit, agite!, quo honore, quave digna-
one ordo ipse claruerit, expendamus.
Jultis hoc indiciis colligere possumus.
Jam & origo antiquissima est, & post
atres, ex reliquo civium numero hone-
issimi quique, ac virtute maximè con-
picui in istas turmas adsciscebantur. I-
em enim, qui urbis conditor Romulus,
um populum in curias triginta, tribus
res divisisset: totidem equitum centu-
ias, eodem quo tribus nomine insigni-
as conscripsit. Ramnenses ab ipso: ab
Tito Tatio Titienses appellati: Luce-
um, ut Romanæ historiæ scriptor ait,
ominis & originis causa incerta est.
Postquam Romulum Dii cœlo vindicas-
ent, desiissent etiam in terris agere san-
ctus Numa, Tullus Hostilius, & Ancus
Marcius, qui hos excepit Tarquinius
Priscus, cum equitem maximè suis viri-
bus deesse cerneret, numero ab Romu-
lo instituto alterum tantum adjecit, ut
mille trecenti celeres in tribus centuriis
essent. Tarquinium Servius Tullius secu-
tus est: is distributo in classes centuriasq;
populo, equitum ex primoribus civitatis
centurias duodecim conscripsit. Sex item
alias è tribus à Romulo institutis, sub iis-
dem, quibus inauguratæ erãt, nominibus
fecit, ut essent in universum in civitate

centuriæ decem &octo. His ad equos emendos dena millia æris ex publico data. Dein honos additus: non enim (ut ab Romulo traditum cæteri servaverant reges) viritim suffragium, eadem vi, eodemque jure promiscuè omnibus datum sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi: inde octoginta primæ classis centuriæ: ibi si variaret, quod rarò incidebat, secunda classis suffragia inibat: nec ferè unquam infra ita descensum, ut ad infimos perveniretur. Et quia subinde eveniebat, ut imminuto patrum numero Senatus à Censoribus supplendus esset, ex primoribus equestris ordinis supplebatur. Qua re quantum dignitatis lectis accederet, neminem ignorare arbitror, qui modò cognoverit, quæ quantaque fuerint publici illius orbis terræ consilii ornamenta. Locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ denique totæ, & reges vectigales. Quantum verò auctoritatis atque potentiæ huic ordini adcrevisse putabimus, postquam venales patrum sententiæ, captæque ob rem judican-

dam

am pecuniæ effecissent, ut litibus terninandis equites sederent, quibus in ubselliis ante sederant senatores? Nam um ad C. Gracchi usque tempora judiciorum vis omnis atque potestas penes aticlavios fuisset, rogatione tribunitia id solos angusticlavios translata: Q. autem Servilii Cœpionis, nec non M. Plautii Silvani lege utrique ordini communicata est. Post hos ut infensus, ita invisus populo Sylla, solis quidem Senatoribus judicia restituit; verùm paucis ab ejus morte interjectis annis L. Aurelius Cotta, Cn. Pompejus, & ille Marianarum partium acerrimus vindex C. Julius Cæsar dictator, Senatoribus equitibusque tabellas judiciarias ex æquo dedere, ut purissima pars civitatis judicaret. Nec sinè causa hoc de calculo toties & certatum, & variatum: nervi enim & artus cujusque ordinis in judicandi munere consistunt. Quippe, penes quod membrum civitatis judiciorum summa consistit, ut de Italicis, de civibus Romanis, &Senatoribus ipsis sententiam ferre possit, ut alios mulcta, alios ignominia, alios exilio damnare; is ordo quasi dominus vitæ fortunarumque omnium constituitur, ipsosque adeò Senatores subjecisse sibi videri potest. Igitur judicia cum aut

solis equitibus, aut mixtim equitibus senatoribusque fuerint concredita, eaque purissima pars civitatis haberetur, quis de fide, virtute, dignitate equestris ordinis amplius dubitare ausit? Quis nescit, homines qui ad legum defensionem, judiciorumque auctoritatem accedunt, quantum sella supra vulgi coronam eminent, tantum & integritate, diligentiaque extare debere, ut possint, quem oderint absolvere, quem diligant condemnare: ut habeant in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem: utique omnibus in rebus conscientiam suam, tanquam mille testes revereantur. Sed hæc quidem equestris ordinis decora domi nata: videamus foris & militiæ quanta fuerit obtenta gloria. Res profectò ab equitibus præclarè gestas reperiemus multas: nam & primi prælium inibant, & ultimi confecto prælio excedebant, nec ex equo duntaxat, sed etsi natura loci flagitaret, collato pede pugnabant. Possem hic memorare quas acies jam inclinatas equester ordo restituerit; quoties dimissis equis pedites ipsi conflixerint, maximasque perduellium copias ad internecionem ceciderint, nisi res longius ab incepto me revocaret. Gravissimum sanè veritatis indicium hostis confessio perhibetur:

etur: neque enim fatetur, nisi cum res
sa clamat: nec laudat, nisi supra obtre-
ationem virtus sit. Sufficient ergò no-
s ad probandum quod volumus,ea,quę
ostis Pop. Rom. Perseus Macedonum
ex de laudibus hujus ordinis disseruit.
inter initia belli prælio equestri victor,
um exercitum summo discrimini firma-
e vellet, non majus orationis pondus
ivenit, quàm quod prospera ei pugna
ibministrabat. Præjudicatum, inquit,
elli eventum habetis: meliorem partem
ostium, equitatum Romanum, quo in-
ictos se esse gloriantur, fudistis. Equites
nim illis principes juventutis, equites
eminarium senatus: inde lectos in pa-
rum numerum consules, inde impera-
ores creant. Horum spolia paulò ante
livisimus inter vos. Quod si acie decer-
nere volent, eundem pugnæ pedestris e-
ventum expectate,qui equitum in certa-
mine fuit. Huc usque Perseus. Illud haut
prætereundum duco, constitisse huic or-
dini dignitatem, non solum libertate
Pop. Rom. salva, verum etiam à Cæsari-
bus jam oppressa: adeò quidem ut Au-
gustus ipse orbis dominus, cum de elo-
canda filia deliberaret, de equitibus quo-
que nonnullis cogitaverit, Sejanusque e-
ques Romanus ad matrimonium Liviæ,

Druso quondam nuptæ, Tiberiique neptis aspirare ausus fuerit. Quin etiam sub Augustis provincias quasdam non nisi fidei equitum concreditas accepimus; veluti Cappadociam, Ægyptum, Alexandriam; in quas missi vel præsides, vel legati Cæsaris, vel præfecti augustales; nonnunquam etiam fratres principum nuncupabantur, ut ex constitutionum ad eos directarum subscriptionibus apparet. Atque hîc quidem & alias gentes non paucas laudare possem, apud quas equester ordo inter primos, aut certè primo proximus fuit: Cretenses enim equitum classem & vetustate, & dignitate longè præcipuam in grandi pretio habuerunt: Apud Achæos equitum turmæ eximio semper honore præcelluerunt: Athenienses verò, cum viderent quàm esset hic ordo Reip. necessarius, idque etiam experti essent in prælio Marathonio (ridebantur enim à Medis, quod pauci numero, & nullo equitum ac sagittariorum robore septi, tantum animorum atque audaciæ sumsissent, ut secum æquo Marte signa conferre non dubitarent) auctis opibus, magnaque de Xerxe relata victoria, trecentos primum equites, non multis post annis mille ac ducentos instituerunt, quibus stipendium ad emen-

dum

um ornandumque equum ex ærario
olveretur. Verùm ne in immensum ex-
rescat oratio, Romanorum judicio con-
enti sumus, quorum jure cum utamur,
tiam dignitatis persuasio in animis no-
tris plurimùm valere debet. Quorsum
utem ea omnia, quæ de existimatione
& commodis equitum Romanorum ha-
tenus diximus? Nempe ut intelligat ju-
ventus magnitudinem ejus premii, quod
ex auctoritate illustrium ordinum, Aca-
demia pro emenso legitimi studii cursu
argitur. Cum enim anulus aureus eque-
stris ordinis fuerit gestamen, illud neces-
sariò consequitur, eos qui anulo donan-
tur, eo ipso, aut in equitum cuneos con-
scribi, aut certè equitibus ita æquari, ut
chlamyde toga nihilo inferior possit vi-
deri. Audax, dices, & periculosa colle-
ctio, quæque sine gravi nobilitatis offen-
sione minimè possit defendi. Ego verò
ab æquis animis veniam facile me obten-
turum spero; iniquorum stomachos, qui
nisi quod ipsi sapiunt, id omne insipidum
putant, nihil moror. Veniam autem res
ipsa flagitat: non enim cum equitibus
Romanis comparo juvenes anulo aureo
donatos, etiam nobilitatis claustra effrin-
gere conor: quanquam ne hoc quidem
sinè exemplo facerem; multi enim ante

me jurisperiti forti manu, masculoque stylo asseruerunt, nobilem esse, quem academia doctoris insignibus ornarit. Verùm in hunc disputationis campum mihi excurrere non libet: illud solùm volo, ut ut nobilis non sit, nec ullas majorum ceras ostendere possit juvenis auro donatus, equestris tamen ordinis & dignitatis virum esse. Nobilitas enim natalibus, & majorum imperiis atque ornamentis censetur: eques tunica angusticlava, equo publico, aureoque anulo æstimatur. Nec idem qui Romæ patricius, continuo nobilis: nec contra quisquis plebejus, is idem ignobilis habebatur, cum plebejorum quoque nobilium veteres non uno loco mentionem injecerint. Quod si inepta nostra ratio est, ineptissima necesse est eorum fuerit, qui literarum & sapientiæ studia equestri militiæ non æquarunt solùm, sed & ante tulerunt. Nam Ægyptii, cum omnes regni incolas distribuissent in tres classes, primam divinæ humanæque sapientiæ mystis, secundam militibus, tertiam operariis assignarunt. Indi verò cum septem ordines civium fecissent, vel inter primos collocavere philosophos, quos hodieque Brachmanos appellant. Galli quoque veteres supremo loco Druydas,

id

d est sacrorum ac judiciorum principes, nedio equites, infimo plebem censuerunt. Quid multis; unico argumento, eoque non è vetustis annalibus, sed recentiori memoria repetito absolvere rem poterimus. Rigidissimos nobilitatis exactores Germanos comperimus, apud quos perniciosissimo more, ut poliistor Codinus judicat, generis excellentia altissimè repetitur. Nam cum olim Delphis, Xanthiis, Iliensibus, Lyciis, Cappadocibus mater: cum hodiè Polonis pater, Gallis Belgisque avus, Allobrogibus avus paternus maternusque sufficiant, hi atavorum atavos, utriusque sexus, pari nobilitate ad connubia jungenda conquirunt. Doctores tamen juris, reliquarumque disciplinarum quo loco habuerint, inde patet, quod non unis imperii comitiis, sumtuariis legibus latis, quantum ad vestitum, anulos, ac torquem attinet, eos nobilibus penè æquaverint; equitibus certè ita apertè comparent, ut inficiari nemo possit. Separant enim & ipsi equestrem dignitatem à nobilitate, eique, qui ad majorum imagines etiam equitis, vel doctoris codicillos adjecerit, plus licere volunt, quam illi, qui solis majorum ceris gloriatur, ac totus totus, quantuscunque, est.

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Testantur id imperii constitutiones, anno supra millesimum quingentesimo, comitiis Augustanis, imperante Primo Maximiliano promulgatæ: quibus vetatur nobilis vestes auro, margaritisve intextas gestare, nisi idem equestri militia, aut doctorum insignibus sit ornatus. Eaque constitutio cum sæpius repetita, tum novissimè anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, comitiis Francofurti habitis, à Carolo Quinto Cæsare confirmata est. Cum igitur illi, quos rigidissimos diximus esse nobilitatis æstimatores, tantum literis deferant ut in æquilibrio doctores equitesque collocent, quis dubitet amplius, equestris ordinis viros, aut certè equitibus dignitate pares esse? Et sanè, si cui non rebus ab aliis præjudicatis stare, sed rationibus certare lubet, qui digniores anulo aureo & equestri dignitate, quam qui aut contemplatione rerum divinarum humanarumque mentem occupant; aut civili studio dediti leges, quibus resp. quid dico resp.? quibus universa societas humana continetur, tractant; aut morbos pallidasque mortes ab humano genere avertunt? Augustus certè imperator id agnovit, qui
cum

um abjectus prope ac comploratus, o-
era & arte Musę medici restitutus esset,
on ipsi solùm, cui vitam imputabat, sed
mnibus, qui vel facerent, vel in poste-
um facturi essent medicinam, jus anuli
urei largitus est. Verum, aliarum scien-
iarum decus à suo cujusque antistite fa-
undius atque copiosius adstrui poterit:
nihi decretum in præsentiarum de illis
olum agere, qui jus civile tractant & le-
ges. Hi autem universi in tria genera di-
pesci queunt: nam aut judicant, aut le-
ges interpretantur, aut litigatorum cau-
as orant. Judicantium ordinem in om-
ni Rep. longè honestissimum esse, quip-
pe, in quorum manu vita fortunæque ci-
vium positæ, quorumque munere anti-
quitus reges ipsi atque principes functi
sint, nemo negat. Ponè hos esse qui do-
cent, facundoque ore quid æquum, quid
iniquum, qui honestorum turpiumque
fines, quæ discrimina, edisserunt, quis
sustineat inficiari? Quis non equo publi-
co dignos judicet, quorum scientia, ut
Imperator Fridericus ait, totus illumina-
tur mundus, & ad obediendum Deo at-
que principi vita subjectorum informa-
tur? qui amore legitimæ scientiæ exules
facti, de divitibus pauperes, semetipsos
exinaniunt, multisque vitæ periculis
expo-

exponunt, id unicè agentes, ut jus in civitate sanctè æquabiliterque custodiatur? Quod autem ad illos attinet, qui causas orant, suffragatur his nobilissima imperatorum Leonis & Anthemii constitutio, qua rescripserunt; advocatos, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus, in rebus sæpe publicis & privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus providere humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Nec, enim, inquiunt, eos solos imperio nostro militare credimus, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam advocatos: militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, ac posteros defendunt. Utrisque verò tam docentibus, quàm perorantibus suffragatur judicium Athalarici Gothorum regis, barbari quidem illius, minimè tamen barbarum, cum apud Cassiodorum ita differit. Doctrina ornat generosum: quin etiam ex obscuro nobilem facit. Arma & reliquæ gentes habent: sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Hinc oratorum pugna juris civilis classicum canit: Hinc cunctos proceres nobilissima disertitu-

do

o commendat. Verùm enim verò, vi-
eor hîc mihi nescio quos oggannientes
udire, homines credo ad medium Ja-
um sedentes, qui nil nisi Idus, tristesque
ebitoribus Kalendas colunt; qui ante
alli cantum pueris suis, vixdum infan-
iam egressis occinunt vulgatum illud;
) cives, cives! & quæ sequuntur: hos,
nquam, oggannientes audire videor:
on literarum & sapientiæ præmium a-
ıulum esse, sed opibus & censu eque-
trem dignitatem constare. Cautum es-
e lege Roscia theatrali, ut ne in quatuor-
lecim sedeat, nisi qui sestertia quadrin-
genta in bonis habet: id est: ut pater ele-
gantiarum Budæus computat, decem
millia coronatorum. Ipsum Servium Tul-
lium, quo tempore sancta adhuc Roma
erat, purasque ab avaritiæ sordibus ad
cœlum manus tendebat, in distribuendis
classibus centuriisque civium Romano-
rum censum spectasse. Quin etiam Solo-
nem virum sapientissimum, ex ære, & o-
pibus ad imperia cives admoveri voluisse.
Hoc amplius Carthaginensium legibus
cautum, ut locupletissimus quisq; ad ho-
nores vocaretur. Apud Indos Remp. à
ditissimis temperatam: eosdem aut judi-
cia reddidisse, aut reddentibus assedisse.
Apud Chalcidenses verò tantam peculii
habitam

habitam rationem; ut qui essent benè numati ob hanc solam causam equitum titulis insignirentur. Hæc atque his similia, quæ illi tanquam digitos suos in numerato habent, etiam tacitos objectare nobis credo: Quibus ne cessisse videamur, neve silentium nostrum suæ imputent victoriæ, pauca reponenda censeo. Nempe, spectasse quidem Servium Tullium in distribuendis civium ordinibus censum, non tamen solum censum, sed & mores, & vitæ honestatem. Adhæc censum spectasse, non tam quod censos magna æris vi dignissimos honestissimosque judicaret, quam quod difficile esset, inter tot humanos errores, cives virtute & vitę honestate discernere, cum sub specie & schemate virorum proborum, sæpe obscœni balatrones lateant, Curiosque foris simulent, qui domi bacchas & Floralia agitant. Vita enim hominum nil nisi scena est: in qua sicut alii regis, alii ducum, alii deorum, alii fœminarum illustrium personas sustinent, omnes tamen servi vilesque tragœdi sunt: ita in civitate alii quidem viros fortes, alii continentes, alii sanctos simulant, cum sint interim ignavi, impuri, vultu denique cultuque magis, quam animo boni. Quare Tullius satius existimavit censum spe-

tari, eo, quod in oculos incurrat: virtus nisi animi acie, qua paucissimi valent, cerni nequeat: minus rempub. seditionibus obnoxiam fore, si illi anteponantur, quorum propter possessiones & pignora maximè interest, nullam fieri rerum mutationem: plebs autem infima, egens & inquies spem omnem fortunarum suarum in convulsione civitatis habere putatur; nec quicquam tam turpe posse cogitari, quod non cum pretio videatur honestum. Postremò id ipsum, ut qui censu pollebant, aliis potiores haberentur ad comitia magis & suffragiorum jus, quam honores atque imperia pertinuisse arbitror. Ejusque rei videor mihi testem citare posse omni exceptione majorem Valerium, qui libro quarto dictorum factorumque memorabilium ita scribit: *Animi bonis dignitatis æstimatio cunctis in rebus ponderabatur. Hæc imperia conciliabant; hæc jungebant adfinitates: hæc in foro, in curia, hæc intra privatos parietes plurimùm poterant. Patriæ enim unusquisque, non suam rem augere properabat, pauperque in divite, quàm dives in paupere imperio versari malebat. Atque huic tam præclaro proposito illa merces reddebatur, quod nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecunia licebat, inopiaque illustrium virorum publicè succurrebatur.* Hactenus

nus Valerius. Quod autem ad legem Rosciam attinet, est sanè perquam ridiculum, ne dicam putidum ac pudendum, quenquam ea se velle defendere, cum omnibus bonis displicuerit, vanissimusque rogationis auctor innumeris Satyricorum convitiis infamatus atque proscriptus sit. Quid enim iniquius, quàm dignitatem quæstu, ordinem peculio, nobilitatem opibus metiri, cum sæpius aut furtis, aut rapinis, aut tyrannorum effusa in deterrimum quemq; largitione, aut fortunæ culpa & dentur & eripiantur: bonæ autem mentis, fato nescio quo, individuus plerunque comes sit paupertas? Qnid absurdius, quàm carnifices quidem, etsi sint locupletissimi, vilissimos tamen haberi: peculatores verò, parricidas, ac flagitiis omnibus inquinatos homines, quibus opes affluunt, claros ac equestri nobilitate dignos judicari? Quid porrò turpius, quam Lectio, Oceanoque veniente, lenonum quidem, lanistarumque pueros census fiducia immobiles sedere; excitari autem Pallantas & Licinios, quorum res bello civili attrita est: nec sustinere in equestribus spectare nobilissimi oratoris Hortensii nepotes, quod domus eorum pudendam ad egestatem redacta sit, cum non suo, sed fortunæ vitio

io decoxissent? Quid denique pernicio-
ius Reip. quàm numos honori, inopiam
robro haberi? Cum enim natura omni-
us mortalibus quædam ambitio sit in-
ata, honoremque non industrii magis,
uàm inertes sibi expetant, necessariò fit,
t opum quoque cupido animos stimu-
et, per quas honores & imperia adipisci
e posse sperant. Hinc sexcentorum sce-
erum causæ: ut enim nulla calamitas so-
a, ita nec vitium ullum solum cernitur;
riorique malo hæc adjuncta pestis est, ut
uisquis fieri dives vult, & citò velit fieri.
taque omnis mpatiens moræ, aut ferro
grassatur, aut venena miscet, aut noctibus
testamenta meretur: adeòq; properat a-
varus, ut nec de spoliis prostantis pupilli,
nec de vita proprioris agnati, nec de gula
decrepiti parentis triumphare exhorres-
cat. Quid ergò superest Roscio, quo se ja-
ctare possit; quin antiquata ejus rogatio-
ne, auctorem quoque ipsum ęternis infa-
miæ notis proscindimus? Nec Athenæ,
aut Carthago, aut Indi nobis objiciantur;
nam præterquam quod sua illis constitit
ratio, non quid apud eos factū sit sed quid
fieri oportuerit, considerandum. Quanto
rectius, quàm illi, judicarunt homines sa-
pientissimi Veneti, qui cum viderent fre-
quēter evenire, ut sordidę fęcis homines
mon-

monſtroſas ſibi comparent facultates; contra nutare plerunque ac ruere ſplendidiorum tecta, ſeu adverſis tempeſtatibus, ſeu ſtudio magnificentiæ, ſeu neglecta præ amore ſapientiæ rei familiaris cura; jura civitatis ſuæ generis potius nobilitate, quam opum magnitudine, ut vir illuſtris Caſpar Contarenus teſtatur, cenſeri voluerunt. Quanto etiam rectius olim divinus Plato, qui, licet opes non contemnendas poſſideret, adhæc ab antiquiſſima patritiorum ſtirpe, atque ab ipſo Solone Athenarum legiſlatore maternum genus duceret, veræ tamen nobilitatis decus in virtute poſitum judicavit, & eos, qui rerum gerendarum uſu ac prudentia cæteris præſtabant, ad imperia evectos voluit, nulla ſtirpis ac divitiarum habita ratione? Verùm altius fortaſſè, quam par erat, contentionis ardor me provexit, dum omnibus modis ſtudioſæ juventuti approbare nitor, quo in pretio, quave exiſtimatione anulus debeat haberi: nunc quia ſatis id demonſtraſſe mihi videor, ad adſtantem candidatum me convertam, ei reliquam orationis partem imputabo: imputabo tamen ita, ut quæcunque monita atque præcepta dedero, eorum fructum juventus quoque, ſi frugi eſſe velit, percipere
queat.

queat. Te igitur, præstantissime candidate rogo, ut quoniam vita, virtute, studiis promeruisti publicè à nobis anulo donari, antequam is à me tradatur, attentis auribus accipere, memorique pectoris claustro condere velis, & cujus generis sit ille quem donamus, & quemadmodum donato uti te deceat. Principiò ex auro, metallo omnium purissimo, nobilissimoque factus est; ut eo ipso non solum nativæ ingenuitatis, sed & adventitii honoris admonereris. Sicut enim inter metalla omnia aurum rutilo fulgore emicat: ita haut frustra placitum, auro potissimum donari illos, qui virtutis atque eruditionis jure, tanquam sydera quædam lucidissima alios anteirent. Luctus & funestorum casuum insigne ferrum est; nec obscurum vinculorum atque servitutis argumentum: Quis igitur ferreo potius, quam aureo anulo donandum te existimet; cum non solùm homo liber, sed & ingenuus; non solum ingenuus, sed eques Romanus futurus sis? Neque hic dies luctus, sed publicæ penè lætitiæ est. Gaudent parentes, in hanc usque diem se vitam extendisse, qua sibi filium alterum ob virtutem coronatum videre liceat. Gaudet Academia, fructumque non exiguum laborum sentire se au-

ſe autumat, cùm juvenem tam ritè productum videt, quem ob merita atque eruditionem, abſque ulla decreti infamia, ornare liceat. Gaudet tota civitas (neque enim temerè eſt tam frequens populi concurſus atque acclamatio) eo nunc cive ſe auctam, qui certo virtutis doctrinæque teſtimonio ſubnixus, ſecure in partem curarum publicarum aſſumi queat. Porrò auro inſerta gemma eſt, ut vel ex ipſo lapidis jubare dignitatis apicem metireris. Sed hic tamen monendus, ut ne nimium pretio tibi placeas, neve ambitione turgens animum opibus tradas: Erit enim cum aliis id grave tum tibi periculoſum, ſi vulgi rumor, ſi conviviorum circulorumque fabula anulus tuus eſſe cœperit. Quantam olim invidiam Chryſogono a theſa fundo emta concivit? Quantam Aſinio Gallo menſa citrea decies HS? Atque ne longius à propoſito diſcedamus, quanta olim in infamia anulus ille navali auctione venditus, qui Cæpioni atque Druſo inimicitiarum, Pop. Romano ſocialis belli cauſam præbuit? Habet aliquid pericli omne nimium atque etiam in utenſilibus, quicquid auream ſupergreditur mediocritatem, oneri, potius, quam uſui exuberat. Igitur ex ipſis opulentioribus illi potiſſimum ut

cati,

cati callidique laudantur, quibus ad argumentum modestiæ obtenditur color paupertatis: qui nullo strepitu, modico cultu, dissimulatis facultatibus agunt, & divitias magnas administrant sinè ostentatione. Experimur enim ea interdum tempora, eos principes, sub quibus hæc sola sit innocentiæ ratio, non habuisse quòd placeat tyranno. Verrem, donec Siciliam cum imperio rexit, multis honestis de digito detraxisse anulos legimus, quoties aut gemmæ fulgor, aut pretium sculpturæ avari prætoris animum incenderat. Nonio verò senatori etiam exilii atque mortis causa anulus extitit. Cum enim gemmam haberet viginti millibus sestertiis taxatam, tametsi imperium affectanti temnendus magis, quam timendus esset, pretio tamen cupiditatem incitante, ab Antonio triumviro proscriptus est. Id verò Deus immortalis prohibeat, ut eum quisquam tibi detrahat, quem Academia ob virtutem donat, aut exitio tibi sit, qui in discrimine saluti esse debet. Est aliquis inter parum & nimium modus: & sicut quod citra contemtui, quod ultra invidiæ patet; ita media via tutissimè grassari licet. Multi etiam mortales, quorum pectus sacra auri fames vexat, auro per fas & nefas inhiant;

gemmas per dedecora & flagitia quæ-
runt; nec quisquam eorum sibi turpe putat, quod cuiquam fructuosum fuisse animadvertit. Vident enim eos esse mores, id seculum, ut unde habeas, roget nemo: an habeas, & quantum habeas, & habere necesse, clament omnes. Tu verò L. Pisonem Frugi imitare, cui dum armis exercetur, cum anulus fortè fractus atque comminutus esset, aliumque sibi fieri vellet, aurificem in foro Cordubæ vocari, appensoque palàm auro, hominem juxta tribunal sellam ponere, anulumque omnibus inspectantibus sibi facere jussit. Cum enim filius esset L. Pisonis, qui primus legem de pecuniis repetundis tulerat, hoc pacto universæ Hispaniæ constare voluit, unde prætori anulus conflaretur. Quantum verò ad sculpturam attinet, fuit olim, & est hodièque magna hominum cura, & superstitiosa diligentia circa characterem, & effingendam signis imaginem. Prout enim vel ambitio, vel libido quemque extimulat, ita etiam sigillari utitur: Quos fortitudinis laus titillat, aut Martem, aut clypeos, aut leonem, & victrices orbis aquilas volunt. Quos incesta Venus torret, hi aut concha maris, aut nudo Cupidine, aut amica investe pruriunt. Quibus

omnis

omnis in poculis, omnis in comessationibus voluptas, Comum Deum, hederam, racemos, & gravem Sileni cantharum flagitant. Quos ceræ, & nobilitatis gloria vexant, regem aliquem generis sui auctorem, aut heroum vultus, & clarorum virorum imagines præferunt. Sapientiæ verò sectatores hæresum suarum magistros in tabulis, in poculis, in anulis venerabantur. Nec defuere, qui suamet ipsi imagine impensè sibi placerent. Hinc Amphitryonis anulus cum quadrigis solem exorientem; Neronis, a Sporo donatus, Proserpinæ raptum; Scipionis, patris sui superioris Africani imaginem: Sullæ, traditionem Jugurthæ à Boccho rege factam extulit. Pompeji autem signum leo gladium gestans, Augusti, sphynx primùm, dein Alexander Magnus, Mecœnatis rana, Plinii quadrigæ, militis gloriosi clypeatus elephantum disjiciens machæra. Satis profectò plerique aut impiè, aut ineptè. Præterquam enim quod Atejus Capito, juris pontificii inprimis peritus, nefas olim censuit deorum formas anulis insculpi: rectius longè, atque piè magis Clemens Alexandrimus docuit, à Christianis non idolorum facies, non ensem non arcum, neque pocula: multo minus amasios

vel amicas inveſtes, vel Bacchi cantharum; ſed columdam, piſcem, navim quæ celeri curſu à vento feratur, vel lyram muſicam, qua uſus eſt Polycrates, vel ancoram nauticam Seleuci regis effingi cœlo debere. Hujus tu viri ſapientiſſimi præcepto paruiſſe videris, qui non quidem navim, non ancoram, fluctus tamen & ventos in gemma exhibere voluiſti. Signum profectò ejuſmodi, quod tum ad genuinam pietatem, tum ad civilem ſapientiam non leve momentum poſſit conferre. Eos enim, qui vero pietatis ſtudio ardent, commonefacit; omnem propè vitam inter procellas ſibi degendam: Per caſus varios, per mille rerum diſcrimina ad ſalutis portum enitendum eſſe. Etenim, quandiu in terris militat ſanctorum cœtus, tandiu & adverſis fluctibus agitari neceſſe eſt. Quæ tamen Numinis erga genus humanum benignitas, etſi percellitur; nunquam obruitur. Concutere quidem venti poſſunt; evertere neque flatus ullus, neque tempeſtas poteſt. Quos verò reip. cura occupat, his indicio erit: populum mare, ſeditiones procellam, virtutem civium & concordiam portum eſſe: Quem ſi recto curſu tenere nequeant, mutata velificatione tempeſtati obſequendum.

Adhæc,

Adhæc, ut mare sua natura tranquillum, ventorum turbine exæstuat: ita populum sua sponte quietum, hominum seditiosorum vocibus, tanquam violenta tempestate concitari. Sed redeo rursum è diverticulo in viam. Romanorum, de quibus loquebamur, delicias, non in cælatura duntaxat, sed & numero anulorum deprehendimus. Erant enim, qui ita digitos suos onerarent, ut falsè festivissimus poëtarum dixerit, dactyliothecam eos non habere. Erant, qui uno in articulo Jaspides, Adamantas, Smaragdos, Sardonychas portarent. Erant, qui non contenti uno anulorum genere, ad solis cursum eosdem mutarent, alios æstivos, alios hyemales nuncupantes: quorum illi levioris, hi gravioris ponderis erant. Heliogabalum verò, portentosæ luxuriæ principem, etiam singulis diebus variasse anulos legimus Horum tu nequitias & profusam libidinem risu atque cavillis; aut si mavis diris absolve. Quid enim mollius, quid effœminatius, quam non solum pro anni intemperie vestem mutare, captis per hyemem endromide, per æstatem multitiis, verùm etiam de auri gemmarumque pondere queri velle? Quid porrò ineptius, quid stultius, quàm ita instrui,

ut quo plura pararis, eo pluribus indigeas, atque instar Midæ alicujus aut Tantali in ipsa copia inops sis. Usque adeóne miserum digito nudo incedere, ut non miserius sudantibus articulis aurum ventilare? Infirmitatis id signum egere; contra sapientiæ, habere satis. Ut enim philosophus firmat;| Diis amici atque proximi sapientes: Deorum autem hominumque ea maximè re dissimilitudo apparet, quod nihil illi ad usum sui requirant. Igitur & mortalium immortalibus similiores ii, quibus quàm minimis sit opus. Hęc cum Senatus Academicus considerasset, non anulis, sed anulo te donare voluit, qui usus compendio in brumam æquè atque æstatem tibi superet. Quem quidem neque in auriculis, neque in articulis, sed imo digito gestare debes: illud enim mulierum; hoc virorum est. Cæterum dextra an sinistra geras, non anxiè, neque diu deliberandum puto: sinistra tamen quam dextra malim. Veteres enim anulos, inprimis nuptiales, læva gestasse legimus, ut cum una ætatem agere decrevissent, anulus quoque fidei sequester in ætatem duraret. Tuus anulus, quantum abest ut nuptialis videri non possit, cum ab Astræa tibi virgine mittatur, ut fidei quam à te accepit arrha sit?

sit? Hunc ergo, ut æternum extet sponsionis monumentum, ita custodire debes, ut nec rubigo exedat, nec usu aut exercitiis comminuatur. Sed nec valdè sollicitum esse velim, utrum indici, an medio, an magis ei, qui minimo proximus est, anulum inseras. Græcos quidem & Romanos minimo proximum ornasse legimus: verum ex errore & fabulis nata consuetudo fuit. Credebant enim nervum quendam tenuissimum ab eo digito ad cor hominis pergere ac pervenire: propterea non inscitum esse, eum potissimum tali honore dignari, qui continens, & quasi connexus cum principatu cordis videretur. Hæc opinio, seu Græcos, seu Ægyptios, apud quos corporum humanorum sectiones olim viguere, auctores habeat, jam pridem à medicis derisa est, qui licet indefessa mentis oculorumque indagine etiam venas lacteas, veteribus prorsus incognitas, reperisse se putent, nullum tamen ejusmodi nervum hactenus observare potuerunt. Postquam verò digito anulum inserueris, quemadmodum eo uti debeas expendendum est. Apollonius Thyaneus anulos, ab Jarcha dono datos, habuisse instar numinis dicitur, ita ut singulis diebus per vices variatis, maximorum secretorum particeps

fieret. Fuit autem Jarcha princeps eorum, qui apud Indos ſapientes dicebantur: is anulos ſeptem, totidem ſtellarum nomine inſignitos, Apollonio dono dederat: quorum beneficio avum Jarchæ centum triginta annos vixiſſe: ipſum Apollonium centeſimum excedentem annum, juventæ nitorem prętuliſſe ferunt. Præterea Gygen, regium in Lydia paſtorem, anulum habuiſſe Plato narrat, cujus palam cum converterat ad palmam, à nullo videbatur, ipſe videbat omnia: idem quum in lucem anulum inverterat, ab omnibus videbatur. Hujus opportunitate uſus reginæ ſtuprum intulit, regem Lydiæ dominum ſuum interemit, quos obſtare arbitrabatur ſuſtulit; cumque in tantis facinoribus nemo eum videre poſſet, repentè anuli beneficio rex Lydiæ ortus eſt. Adhæc de Eudamo quodam profeſſione philoſopho traditur (ſi tamen philoſophus præſtigiator) quod anulos ſolitus ſit conficere, quorum vis eſſet mira, ac pene incredibilis, adverſus venena, ac ſerpentium morſus, adverſus faſcinationem, atque ipſa etiam dæmonia. Quemadmodum autem conficerentur, ex eodem grege ſapiens, quem Thebit nuncupant, ſcriptum reliquit. Docet enim ad effectus miros ſy-
deralem

deralem ſcientiam adhibendam, captataque ſtellæ virtute accipi lapidem, herbamque ſtellæ ſubjectam; mox & anulum conflari, ſive aureum velis, ſive argenteum, cui lapillum indas herba ſuppoſita. Id verò potiſſimum fieri præcipit, ſtellam luna ſubeunte aut ſpectante aſpectu trino, vel ſextili; ſtella verò cæli medium percurrente, aut in aſcenſu conſtituta. Hæc, quæ protuli, utrum dæmonum præſtigiis, an occulta cœli influentia, & plantarum virtute fieri poſſint, hoc quidem tempore in medium relinquenda cenſeo: Nam & ſyderum atque herbarum vires ingentes eſſe fateor: nec tamen perſuaderi mihi patior, plantis quibuſdam gemmæ ſuppoſitis, aut vitam extendi, aut ſecreta cognoſci, aut dæmonas fugari, aut oculis & aſpectui adſtantium quenquam ſubduci poſſe. Utcunque ſit, ſeu vera ſeu falſa memorentur: ſive item ſuperis, ſive inferis adſcribere ea libuerit, abſit à te, candidate, ut anuli ope cujuſquam arcana rimeris, ut tanquam conſcius turpium ſecretorum magnos amicos aut timeas, aut terreas. Neque tanti tibi vita ſit, etiamſi in ſexcéteſimum annum producere eam poſſis, ut inter meliores natus, ad deteriores durare velis. Quin potius in baratrum ante

te penetra, quam crescentem cum annis orbis impietatem sufferas. Vixisse satius est, quam vivere, si inter improbos senilis spiritus trahendus sit. Atque etiam si Gygis anulum adeptus, regno Lydiæ, aut si quod aliud opulentia celebrius fecit, potiri possis, absit ut reginæ stuprum offeras, aut regem contra jus fasque obtrunces. Honesta viris bonis, non occulta probantur: nec plus sibi licere putant, cum impunè possunt, quàm cum formido pœnæ peccare vetat. Itaque si nemo deprehensurus, nemo ne ariolaturus quidem sit, quum in scelus divitiarum, potentiæ, libidinis causa iturus es, si id judici delatoribusque futurum sit semper ignotum; nihil tamen avarè, nihil incontinenter, nihil injustè aut libidinosè feceris. Neque surdus, neque cœcus Deus est, ac licet sæpe lenta, nunquam tamen vana ira est. Conscientiam memineris ab numine tibi datam, quam si habueris in omni vita optimorum dictorum factorumque testem, sine metu, summâ cum honestate vives. Illud quoque, & vel præcipuè monendus es, ut sicut vitæ longioris spem in herba collocare non debes, ita nec brevioris finem in gemmâ quæsisse velis. Hannibal, cum metueret ne à rege Bithyno Romanis dederetur,

hausto, quod in anulo gerebat, veneno periit: Periit & Demosthenes, dum mortem occupare satius putat, quam Macedonum probra & contumelias perpeti: abstulitque cum summum oratorem illa sanguine taurino tincta pala; tum summum ducem ille cladis Cannensis, & tanti cruoris vindex anulus. Horum tu, quamlibet excellentium virorum fata, non solum fugere, sed & quantum potes odisse atque execrari debes. Enimverò, tam miserum est hostium potiri, ut non præstet vel in robusto carcere enecari, vel unco carnificis ad scalas gemonias trahi, quàm fuimet ipsius hostem fieri? Quis nescit, animam in corpore, tanquam in præsidio collocatam esse, unde nisi jussu imperatoris non liceat excedere? Si igitur capital est, militem stationem deseruisse, quanto gravius, animam ante tempus præsidio emigrasse? Si scelus est, civem hosti tradere: quanto ille omnium scelestissimus, qui jugulare, quam clementiam victoris experiri maluit? Verùm huic præcepto non diu immorabor; quoniam non cum barbaro mihi res est, sed cum homine Christiano; quem ita & imbutum, & institutum arbitror, ut animus ejus ad solam tanti facinoris cogitationem exhorrescat. Quare

ad forum properabo, & Libonis puteal; in quod si fortè, Candidate, Themis te propulerit, ut patrona voce opem feras clientibus, aut vitam reorum salutari tueare facundia, ne quid ibi cupidè, ne quid petulanter, ne quid flagitiosè admiseris; nec usum anuli ab honesto ad turpem quæstum transtuleris. Romæ temporum perversi mores eo rem perduxerant, ut nullus orator absq; facie grandioris census placeret, visque persuadendi non tam penes eloquentiam, quàm cultum comitesque dicentis esset. Igitur litigator patronum quærens, non in voce illud canorum, in gestu decorum, in verbis perspicuum, in sententiis argutum, sed in digitis aurum atq; gemmas spectabat: num octo servi, decem comites, togati anteambulones, atq; à tergo sella curulis esset. Quapropter coactus Paulus, cum proprio non posset, conducto anulo causas agere: tantumque cura valuit & ars lucri, ut pessimus causidicorum Crispinus, tanto Cosso Basiloque facundior haberetur, quanto in speciem locupletior erat. Hodie, etsi non tam fertilis advocatorum seges est, ut lecticam inde, atque servorum anteambulonumque greges parent, tamen & anuli grandes, & vestis holoserica, ductusque ad pedes vernula eos celebrant.

Usque

Usque adeo præsenti quoque tempestate vulgus indoctum stupet ad conspectum auri & gemmarum, raramque in tenui panno facundiam esse putat. Quæ quanquam vides, cave tamen plebis arbitrio vestiaris, aut quæstum anulo magis habituque, quam verâ virtute facias. Rem enim strenui juxta ignaviq; sibi exoptant: Sed illi rectâ grassantur via: hi quia facundiâ non possunt, cultu vultuque populo imponunt, & oratores visi sunt. Ac licet antevertant sępe doctos, tamen illa temporis prærogativa paulisper durat, nec ulla unquam stultorum regna perennare potuerunt. Vera gloria, quia radices agit, in ævum propagatur: longéq; præstat ab hac vel post fata respici, cum jam odium, æmulatio, atque invidia quiescunt, quam inter vivos inani duntaxat gloriæ umbrâ pasci. Postremò in eam, luxuriam dicam an insaniam? quanquam luxuria omnis insania est, Romanos prolapsos didicimus, ut anulum lictoris vice haberent, qui populum obstantem summoveret. Cujus rei causa & uniones gestabant; nec singulos singulis, sed exercitatis oneri ferendo auribus binos jungebant, & insuper alios binos superponebant. Ita perditiore portatu voluptatem ex gemmis, venerationem ex unionibus quæsivere,

collisu videlicet margaritarum & sono gaudentes quem crotalia dixere. Affectaruntq; idem & pauperes, sonum illum lictoris instar esse dictitantes, quo exaudito populus, etiam qua confertissimus esset de via sibi decederet. Horum furorem etsi sint, qui hodieque imitentur, integraque patrimonia, aut in digitis, aut in auriculis portent, ut nudo capite à populo salutentur, atque in conviviis, in theatris, in concione, in omni denique re atque loco omnium primi habeantur: tu tamen, ornatissime candidate, nunquam æmulatus fueris. Signandi, non ambiendi causa vir rotundus anulum habet, mavultque plebi ignotus vivere, quam inani rumore per urbem differri. Quippe aura popularis ab initio læta, fine luctuosa esse solet; brevesque & infausti populi amores. Quid igitur? Ne existimatio vanis quæsita ad extremum in ludibrium vertat, tu obsequio erga parentes, meritis erga patriam, pietate erga Deum id age, effice; ut non solum populus de via tibi decedat, sed etsi fortè seditio fuerit commota, atque ignobile vulgus sævire cœperit, cum jam saxa volant, & subselliorum fragmina, cum furor ministrat tela: tum si te conspexerint, ut conscientia virtutis atque innocentiæ tuæ per-

culsi

culsi sileant, pronisque auribus, tanquam alterum Menenium de concordia civitatis verba facientem, audiant. His præceptis, si tu, juventusque quæ adstat, parueritis, dignos anulo, dignos auro, etiam Catone & Cassio judice; aut si quis alius Liviis Drusisque rigidior est, extitisse vos fatebimur.

ANTONII MATTHÆI

ORATIO VI.

SIVE

Præfatio recitata die IV. Novembris Anni M. DC. XXXIX.

Cum auspicaretur Institutiones Iuris.

Qui in longinquas terras proficisci cogitant, hi hominem aliquem viæ, regionumque gnarum requirere solent, quo duce, atque doctore, vitatis ambagibus, crebrisque itinerum anfractibus, compendium laboriosæ peregrinationis facere possint. Eadem votorum summa, A. O. vobis quoque futura erat, qui in latissimos Juris Romani fines excursuri estis, nisi prævenisset sollicitudinem vestram

ſtram Imp. Juſtinianus, cujus auguſto munere tam breve, tam felix itineris compendium vobis obtigit, ut qui eo utuntur,ſine ulla nauſea atque defatigatione,ad optatam ſtudii civilis metam facile deducantur. Priſcis ſeculis legitimæ ſapientiæ operam daturi,à legibus Decemviralibus auſpicabantur: quas memoriæ mandare,tanquam carmen neceſſarium, ſolenne fuit. Cujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Cicero, qui in libris de legibus ſcribit, ſe puerum juriſprudẽtiam didiciſſe, facto initio à duodecim tabulis, quod in iis fontes omnis juris,cum publici,tum privati contineri dicerentur. His an paulo feliciores ſumus, nati in ea tempora, quibus ſtudium hoc ampliſſimum,non ab antiquis fabulis,ſed ab imperiali voce auſpicemur: id eſt,ab Inſtitutionum libello, tam facili, tam comto, ut qui diverſum iter ingredi,velit, is anfractum recto preferre videatur? Etſi verò via hæc brevis, atque plana habetur, tamen ut magna eſt ingeniorum varietas, ita varii quoq; ſeu docentium,ſeu diſcentiũ proceſſus; dum quidam feſtinatione præcipites quaſi per hippodromum decurrunt, alii pedetentim incedentes minutiſſima quæque diverticula curioſè perreptant. Sunt enim qui Inſtitutiones deſultoriè explicant,paraphra-

raphrasin potius verborum, quam interpretationem rerum in medium adferentes, sunt contra, qui easdem diffusis atque prolixis cõmentariis onerant verius, quã ornant. Pessimi illi, qui ne integras quidem Institutiones enarrant, sed paragraphos duntaxat aliquos sibi sumunt, in quibus explanandis, & ætatem suam, & auditorum ingenia deterunt, quacunq; occasione alienissimas materias alieno pertractantes loco, ut aliquanto diutius in iis hæreant, quàm Græci ad Trojam. In quorum numero illos quoque censendos judico, qui in tanta bonorum auctorum copia, tot eruditissimorum virorum commentariis publicè prostantibus, auditores ineptissimis suis dictatis ita urgent, atque opprimunt, ut quinto legitimi studii anno dupondii adhuc videri possint, quos jam λύτας aut προλύτας esse decuerat. Nugaciores profectò sycophanta comico, qui nomen sibi tam longum jactabat, ut si ante lucem occiperetur à primis syllabis, concubium noctis fore diceret, priusquam ad postremas perveniretur. Horum enim commentaria tam prolixa, operæ dictandi adeò tardæ, ut si à rubrica occœperis Kalendis Januariis, vix ad finem pervenire possis pridie Kalendarum anni, non dicam sequentis, sed quinti,

ti, fextive. Ab his omnibus, qui aut præcipiti, feftinatione res utiles & cognitu neceffarias tranfiliunt, aut in inutilibus difficiles habent nugas, aut utilia quidem, fed confusè, & alieno tradunt loco, profiteor me abeffe, abfuturum effe quàm longiffimè. Inprimis vero eos averfor, qui non contenti fupervacua tradidiffe, etiam plauftra doctorum congerunt, quorum nominibus laudatis firmare fe poffe fperant ea, quæ neque legum robore, neque rationum pondere nituntur. Quod fiquis fortè roget, quam ergo docendi difcendive juris methodum arbitrer optimam, is breve hoc refponfum fibi à me habeto: Optimam effe, qua multi retrò excellentes ingenio atq; doctrina viri ufi funt, qui obfoleta modicè, cotidiana copiosè, univerfa tradiderunt purè, deterfa barbarie, purgatifque malè feriatorum fuperftitionibus. Hanc ego viam, quantum per ingenii mediocritatem licebit, in enarrandis Inftitutionibus juris, ftudiofæ juventuti præire decrevi: Eâdem ut fubfequantur, quicunque jacturam temporis atq; olei facere nolunt, feriò adhortor. Inprimis cupidos juris civilis fcientiæ moneo, ut legibus potius ipfis, & verbis JCtorum immorentur, quam interpretum chartis impallefcant.

Ex

Ex ea enim re multiplex ad eos emolumentum redundabit: nam & compendiosior hæc est proficiendi ratio; & fortior arguendi, si legum potius capita, quam doctorum titulos laudare noverint. Adhæc legibus ipsis innutriti purè latinèque loqui discent, nec idem eis usu veniet, quod barbaris accidere videmus, qui sicut ex ungue leones, ita ex oratione ita manifestè deprehenduntur, ut interpretes quidem inspexisse, in libris vero juris prorsus hospites, atque peregrini esse censeantur. Qui diversum iter aut discendo, aut docendo secuti sunt, eos perstringam non tam meis, quàm virorum quorundam doctissimorum verbis, quorum auctoritatem apud teneros tyronum animos longe majorem futuram spero. In eos igitur, qui rerum incuriosi circa verba duntaxat occupantur, surgat præstantissimus JCtus Fr. Duarenus, qui in oratione inaugurali, qua virum facundissimum Hugonem Donellum in numerum antecessorum Bituricensium cooptavit, ita disseruit: Nequaquam dignos munere judicandi contendimus, qui verba quædam Latina, paulo quàm cæteri commodius interpretantur, vel qui historiam aliquam, aut scriptoris antiqui sententiam, ad id, quod interpretandum

tandum fuſceperunt, bellè detorquent: ſed qui eo pervenerunt aſſiduâ meditatione, ſtudio, contentione, ut vim poteſtatemque legum teneant, ut omnem JC. doctrinam non devoraſſe modò, ſed & in ſuccum & ſanguinem convertiſſe videantur. Contra in eos, qui verborum delectum nullum habent, humaniorisque literaturæ contemtores cluent, prodeat ſubtiliſſimus JC. Antonius Faber, in præfatione Codicis ſui ad Senatum Sabaudię ita ſcribens. Incredibilis planè, lugendaque ſeculi hujus infelicitas, quæ apud pleraſque gentes eos ſolos pro magnis JC. habet, qui non minus barbariem, quam legum peritiam profiteantur. Elegantiores vero ſcriptores, quos tam multos hæc ætas tulit, non niſi pro Grammaticis: quaſi vero clariſſima illa juriſprudentiæ lumina & numina, Ulpianus, Paulus, Scævola, Pomponius, Julianus, Papinianus, quos toties nomino, Grammatici tantùm fuerint, JCti verò, ſi barbaris iſtis credamus, nullo modo. Utroſque verò, tam hos, quam illos egregiè perſtringit Phryſiorũ conſultiſſimus Viglius Zuichemus, in epiſtola nuncupatoria de teſtamentis ad Gerhardum Mulertium: Illos, inquit, non multum moror, qui nihil, niſi quod ipſi faciunt, rectum putant. in-

ter quos quidam, si semel Accursium aut Bartolum laudaveris, confestim totum librum abjiciunt: haud meherclè intelligentes, quantum ad veram jurisprudentiam autores illi, quantumvis barbari conferant. Demus enim eos linguarum & bonarum literarum rudes atque imperitos fuisse (quanquam id seculi magis ipsius, quam suo vitio accidit) in rebus tamen civilibus, judicialibusque controversiis mirè exercitati, experti atque docti fuerunt. At isti contemtores, quantumvis eximiè in literis eruditi, quid quęso adferunt, quo nos in jure civili instruant? Consule de urbana vel rustica servitute, de testamenti jure, de familia erciscunda, vel de qua obligationis perplexa specie, quid illi tandem ad interrogata respondebunt? referent fortassis nobis, quid sit stillicidium, aut unde dicatnr, vel quid erciscundi vocabulum apud veteres significarit, at hic dicet Ulpianus, οὐδὲν τοῦτο πρὸς ἔπος. Qui sanè non minus castigandi mihi videntur, cum jurisprudentiæ studiosi, atque etiam magistri & doctores videri volunt, quàm ab Cicerone oratores quidam ridentur ac reprehenduntur, qui nulla juris peritia instructi patronos se profitebantur, civiumque causas, quæ in juris disputatione plerunq;

con-

consistunt, defendendas temerè ac impudenter suscipiebant. Illorum itaque judicium & reprehensionem adeò non moror, ut nec temeritatem nec errorem dissimulare hic possim. Ac utinam illi Alciati & Zazii doctissimorum virorum, pluriumque aliorum exemplo, rerum ipsarum cognoscendarum studio ita tandem afficerentur, ut harum gratia barbariem interpretum vel contemnere vel devorare possent. Alii rursus ita morosè cus ipsis rebus adhærent, ut nullum verborum ornatum vel splendorem admittant, cum tamen veteres Jurisperiti non eo tantum nomine laudentur, quod legum peritia valdè excelluerint, verum etiam, quod literarum & linguarum exacta scientia disciplinę huic non dignitatem tantum admirabilemque majestatem, verum etiam ingentem gratiam conciliaverint. Accedit præterea ex orationis puritate proprietateque rebus per se obscuris &intricatis incredibile lumen. Et hodie non ad exponendum solum, verum etiam ad intelligendum plurimum confert juris civilis studio politioris literaturæ peritiam adjunxisse. Unde fit, ut veteres illi barbari non modò in interpretando incerta ferè vagentur ratione, vixque ea, quæ senserint, expri-

exprimere possint: sed pleraque etiam intelligere atque assequi nequiverint, ea maximè destituti facultate, qua veteres ICti in juris interpretatione tantopere adjuti fuerunt. Quod utinam tandem hi intelligerent, qui literas non aliter ac hostes ab juris commercio rejiciunt, ac (si Diis placet) inveterato quodam animi vitio, quicquid aliquo humanioris literaturæ colore tinctum est, miro fastu aspernantur. Quorum quidem contemtum adeò nos vicissim floccifacimus, ut ab illis propè vituperari malimus, quàm probari: cæterisque nos magis placituros putemus, si istis displicuerimus. Hactenus Viglius. Porrò in eos, qui neque finem, neque modum ullum commentandi faciunt, producimus virum nunquam satis laudatum Jac. Cujacium, libro XI. Observationum cap. XXXVIII. ita disserentem: Ex libris juris civilis, quibus solis nos uti Justinianus voluit in respondendo, litigando, judicando, libello Institutionum neque comtior, neque facilior ullus est, quive interpretem desideret minus: ut planè illorum videatur esse otium ignobile, qui eum libellum longissimis onerant commentariis, quod positū est in una cognitione in infinita dispartientes, quo scilicet plura scire videantur,

tur, ut illis quidem videtur, nostro judicio, ostentatione vana, quo cæteris nihil scire videantur. Nam quæ scientia hæc est, quæ modum non habet ullum? quæ fines suos egreditur? quæ tota deerrat à præceptis suis, & summo illo præsertim, nec à Justiniano prætermisso, ut incipientibus jura tradantur levi ac simplici via, ne difficultate institutionis tam numerosæ ab hoc studio deterreantur. Hucusque Cujacius. Qui nimio dictandi studio se efferunt, his inter Hispaniæ ICtos excellentis judicii virorum Fr. Sarmientum opponimus, qui libro selectarum interpretationum VIII. ita in dictatores detonat: Veros legum sensus extrahere disces, si in ipsis, ut opus est diu noctuque verseris, omissis repertoriis & inutilibus chartaphasiis, quæ etiam felicia ingenia infelicissima reddunt, arte ignorantiæ inventa, quasi opus esset ignorantiam magno cum labore addiscere. Miror quid sibi velint, qui anxiè dictata excipiunt, cum tot sint typis excusa excellentissimorum doctorum scripta, quæ minori pretio emuntur, & majore utilitate leguntur. Si omnia, quæ typis sunt excusa, legisses, & tempus superesset, posses his næniis id perdere; sed cum vita sit brevis, ars vero longa (ut inquit

quit ille) quærere in quo supervacuo labores, & saxum quod volvas Sisyphi, extrema dementia est. Certè sicut libri improbatæ lectionis publicè comburi solent, ita hæc dictata deberent publicè comburi: quinimò dictatores ipsi exilio essent multandi, sicut de Protagora ejusque libris Atheniensium decreto factum Cicero refert. Nam hi dictatorum libri magis quam magicæ incantationes juvenes dementant. Postremò eorũ insaniam qui nomenclatorum officio quàm interpretum defungi malunt, totique sunt in citandis doctoribus, & concinnandis cõmunibus opinionibus, multi viri docti redarguerunt, ex quibus paucos laudasse sufficiet. Joannis Parladorii de eo genere lib. II. rer. cotid. cap. ult. hæc sunt verba: Possem & alios sexcentos ad eam sententiam allegare auctores, sed, ut alibi diximus, nimiam allegationum turbam non tam laudi, quam vitio dant, cum viri docti omnes, tum Panormitanus in proœmio decretalium. Et meritò, nam si animadvertis, omnis orationis splẽdor ea deflorescit: ut omittam, in tam, brevi vitæ spatio importunum esse supervacuis terere tempus. Pluribus eosdẽ intestatur magnũ Germaniæ lumen Ud. Zasius 2. sing. resp. 1. Nec te moveat lector, quod me

inDoctoribus allegandis non involvo,ut nunc hunc, nunc illum citem, quemadmodum novitii leguleji, folia inaniter occupantes, facere assueverunt, ostentationem magis quam utilitatem considerantes: solent enim majores suos carpere, si vel minimum verbum ex aliis dixerint, eosque non citaverint: quasi pulchrum sit, si & intus, & in tergo plena sint omnia Bartolorum Bald.Imol.Raph. Paul. Jas. Alex. Salic. aliorumque id genus Dd. Nam si eos ad omne verbum citari necesse sit, quis erit aliquando finis, cum Dd. super Dd. magno ingeniorum proventu crescant.Misera certe superstitio, imò nugosa vanitas! Mea sic est constituta ratio,ut quod mihi videatur dicam measque assertiones textibus roborem, & siquando doctorem taxavero, ejus errores recenseam civiliter: siquid ex aliis scripsero,cum opus est, autorem non taceam:Sin vero afferam, quæ alii ante me asseruerunt, non ad omne verbum eos adveham, ad id enim adstrictus esse neutiquam volo,ut curem quid alii dixerint, sed quid ex veritate dici possit. Et profectò si nostri leguleji,qui ante nos fuerunt, idem fecissent, innumeræ opinionum myriades quæ communes esse dicuntur, & tamen falsæ sunt, essent intermisse.

ANTO-

ANTONII MATTHÆI

ORATIO VII.

DE

PILEO,

Recitata VIII. Non. April. M. DC. XLI.

Cum Iuvenes Doctißimos,

D. NICOLAUM HAMEL,

D. JOANNEM NELLESTEIN,

Summis in Vtroque Iure honoribus ornaret.

PEracto ambitu, initiſque ſuffragiis, cum cernerem jam tertium in hoc ampliſſimo conſeſſu verba mihi facienda eſſe, quibus adſtantes candidatos virtutis atque eruditionis inſignibus augerem, fateor equidem de argumento me dubitaſſe; ne ſi fortè poſt togam anulumque de pileo ſiluiſſem, ſilentium pro deſperatione haberetur: Sin dixiſſem, inſtitoris magis quàm oratoris more id feciſſe viderer. Quanquam enim non deſunt rerum & rationum pondera, quibus pileo

quoque decus haut leve vindicare queat, tamen cum olim deterrimus quisque hoc tanquam torri atque face civilium bellorum incendia excitaverint, verendum erat, ne aspectum ejus, ut tristem & ominosum, non ferrent illi, qui contra improborum conatus pro republica concurrere atque congregari solent. Verum pressius rem putanti, consultissimum tandem visum est sapientes imitari; qui sine fastidio, sinè formidine, undecunque honestè licet, inde utilitatem percipiunt, atque etiam ex malorum consuetudine sibi sumunt, quæ perversè ab illis facta, alio modo si fiant, ad recti honestique vocabula transferri queant. Itaque ut homines turbulenti, seu præsentis fortunæ tædio, seu legum pœnarumque metu refractis ergastulis, ad pileum servitia vocabant: ita nos juventutem ad idem signum, sed alia mente & scopo vocabimus: planè ut appareat, non factum in culpa, sed modum faciendi in crimine poni; nec idem censendum, quod à duobus pluribusve fit, si qui id faciunt autores, secta diversi disparatique noscantur. Illi pessima fide speciosum libertatis nomen suæ præponebant libidini: nos fide optima libidini juventutis opponemus bona libertatis. Jactabant illi, se afflictissimi

mi cujusque suscepisse causam, ut exules injuria pulsos in patriam restituerent, & viris fortibus grave servitutis jugum demerent. Tempus venisse ejus præmii, cujus causa nemo bonus mortem oppetere dubitasset. Dimicarent modò signis collatis, ac patenti campo. Suam cuique libertatem in manu esse, quam toties, ac nec quicquam ab ingratis dominis expectassent. Nos contra, modestissimi cujusque suscipientes causam, ut deterso ignaviæ situ, dempta barbari nominis ignominia, peregrinos Latio, Latinos civitate, cives equestri dignitate, honoremus, non ad vim & gladios, sed ad pugillares, & stylum, & sapientiæ pluteos juventutem adhortabimur. Suam cuique togam in manu esse, audeant modo ac dimicent, puro & patenti auditorio, nec largitionibus aut gratiæ accepto ferant anulum, quem virtute & sudoribus sibimet ipsi parare possint. Enimverò, inspectis veterum annalibus, cum bella à fugitivis pro libertate gesta recensere͂, partim stupore animus hæsit, partim indignatione commotus est. Quippe, animadvertebam tam gravem plerisq; servitutem habitam, tamque dulce nomen libertatis, ut simul atque Eunus ille Syrus, Athenio Cilix, Spartacus Thrax pileum, non dicam

propoſuiſſent, ſed oſtendiſſent, juſtos exercitus, atque Romanis viribus pares conflare potuerint. Animi verò calamitatem qua vitiis atque mentis erroribus turpiſſimè ſervitur, tam leviter atque communiter à juventute ferri, ut ſemel iterumque pileo à nobis propoſito, non dicam exercitus, non legio, ſed ne cohors quidem integra conſcribi potuerit. Centuria eſt, quæ nomen dedit, & in ea ipſa tam rari anteſignani fuere, vix ut quinquennio toto de curia coronari potuerit. Atqui ſi verum fateri libet, longe turpius eſt hoc animi, quam illud fortunę mancipium, longèque deformius à vitiis vinci, quam in acie hoſtili victoris clementia ſervari. Illud quippe jugum multi etiam fortes & ſtrenui ſortiuntur, dum aut virtutem in prælio fortuna non æquat, aut à prædonibus plagiariiſve ſuppreſſi dominio alieno præter meritum ſubjiciuntur. Huic autem invitus nemo, ſed volens quiſque addicitur, qui licet ex matre libera natus, ita tamen à natura ingenioque paratus eſt, ut cupiditati & affectibus, tanquam viliſſimus aliquis furcifer collum torquendum præbeat. Nihil illud fœdi, nihil probroſi habet: quin ſi incertas rerum humanarum vices ſpectemus, communem dixeris & vernis & inge-

ingenuis ærumnam: quippe, cum in utrosque tantundem liceat fortunæ. Tam Titium Stichus videre servum potest, quam nunc Stichus Titium videt liberum. Nescit nimirum Mævius, dum Damam excruciat, qua ętate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Solon, qua Plato capite fuerint minuti. Posse adeò cuivis contingere, quod cuiquam potest, cum sine discrimine omnes à calvo ad calvum rapiat fortuna. Animi verò servitus, qua alius libidinis, alius avaritiæ, alius ambitionis laqueo cervicem inserunt, adeò non est communis, ut nihil de ea cœca diva, sed propria cujusque voluntas decernat. Quo autem deformius est servire sponte, quàm necessitate, eo magis quoque culpandi, quibus affectus, quam quibus herus imperat. Potest interim virtute liber esse, cui casus servitutem imposuit; potest in ista servilium suppliciorum varietate sapientiæ sibi laudem parare. Quid enim obfuit, quo minus Phædon ille Elidensis ex cohorte Socratica, Menippus, Pompylus Mys, Perseus, Epictetus, cum servi necessitate essent, animo tamen liberi, atque sapientię studiis dediti Diis immortalibus chari haberentur? Toto genere deterior est ejus conditio qui vitiis servit. Etenim, cui

affectus imperat, cui cupiditas est pædagogus, quem crapula collocat in soporem, qui non excitatur nisi ad fritillum, quem pestes juventutis luxuria atque libido tanquam nervi in eculeo distendunt, qui liber videri potest, aut quemadmodum inter sapientes nomen mereri, cum ita ab animo servus sit, ut non solum non effectu, sed ne cogitatione quidem ad illa libertatis bona penetrare possit? Postremò cur tantopere fastidiamus jugum illud, quod casus cuique non voluntas imponit? Quare libertatis causa ad litus & arma conclamemus, cum liberaliter servientes vel ultimum domini elogium, vel vindicta prætoris manu mittat, ærum namque servitutis levet propinqua spes libertatis? At quos libidini mancipavit desidia, quos errorum tenebris oppressit stulta ignorantia, his propè æterna lege serviendum est: nullæ tabulæ, nullus census, festuca nulla est, qua manumitti queant. Quo constantius obsequium, eo arctior indies famulandi necessitas; frustraque speres ex heræ liberalitate, quod non nisi per contumaciam, atque exuta parendi consuetudine obtinere possis. Veniat assertor aliquis & ter quaterve clamitando vindicet hominem in libertatem: næ illi os hera occludet, ac

longè

longè altiore voce intonans, Hunc ego hominem, inquiet, meum esse ajo ex jure Quiritium, meo quippe ære æneaque libra emptum. Quapropter cum genere universo deterior sit animi quam fortunę servitus, cum nihil ferè præsidii in aliorum liberali manu, nulla spes in prætoris vindicta, si non ipse qui asserendus est, in libertatem proclamet: quid causæ esse dicemus, quamobrem plerique, pravis cupidinibus capti, ad inertiam & voluptates corporis venum dentur, quibus paulisper usi, ubi perniciosa libido ætatis flexu constiterit, naturam accusent, atque difficultatis patrocinia suæ prætexant segnitiei? Nam cum vel sago, vel toga inclarescere possint, latitare malunt in tabernis, ubi pro codice capiant calicem, pro jure fumum, pro rubrica vulnus. Ubi imponat aliquis in manum processu cantharum, pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis, pro hasta talus, pro equo lectus detur, pro scuto accubet scortum. Quotusquisque est, qui mentem magnis applicat, aut postquam applicuerit, antiqua lege vult proficere, ut nec censum alea, nec mentis vim vino decoquat: nec in conviviis cantor, in theatris plausor, in circo sponsor sedeat; sed perdius atque pernox sapientiæ studiis

impallſcens, exactè polleat regulam fr ugalitatis? Unde tanta ſeculi labes? Quid ita tot curvæ in orbe mentes? Fatone, & naſcendi ſorte id contigiſſe dicemus, an culpa penes ipſos eſt, quorum pectus deſidiæ veterno oppreſſum non ardet, ſed oſcitat ad conſpectum virtutis? Multa mihi ſcrutanti, multa volventi animo, inter primas cauſas prava educatio viſa eſt. Neque enim obſcurum, parentes liberorum ſuorum mores ipſos perdere. Solvunt infantiam ſtatim deliciis, mollique iſta diſciplina, quam nunc indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangunt. Scilicet adultus virtutem voluptati anteponet, qui in purpuris repſit, cujus gulam prius quàm mores inſtruximus, qui antequam prima verba exprimeret, jam rhombum, jam turdos & ficedulas noverat. In lectica crevit; cum terram attingeret, è manibus utrinque ſuſtinentium pependit. Gaudebamus cum quid laſcivius garriret. Verba ne Sybaritidis quidem concedenda deliciis; riſu & oſculis excepimus. Noſtros amores, noſtras concubinas vidit. Cum convivia obſcœnis canticis perſtreperent, cum pudenda dictu ſpectarentur, tum facta ex turpibus conſuetudo, deinde natura: didicitque hæc miſer, antequam

ſciret

ſciret vitia eſſe. Inter ejuſmodi malorum illecebras educti, non magis profectò ſapere poſſunt, quàm benè olere, qui in fornice ætatem triverunt. Fingamus tamen pudicos parentum mores, domum luxui & libidini impenetrabilem; nil dictu viſuve fœdum ſuperaſſe limina: quotuſquiſque eſt, qui pudicitiæ ſeveritatem adjunxerit? qui magiſtro veteris diſciplinæ puerum tradere ſuſtineat, ſub quo exacta laborum regula cuſtodiatur? Spes noſtras ambitione donamus, dumque ad vota properatur, cruda adhuc ſtudia in forum propellimus, & ſapientiæ titulos, quibus nihil auguſtius, pueris induimus adhuc naſcentibus. Ipſa quoque juventus, ſi quando relictis nucibus, virtuti atque ſapientiæ animum intendere cœpit, quam præcipiti feſtinatione ruit, dum nunc pares, nunc ſuperiores, poſtremò ſuamet ipſa ſpem & expectationem traſire ſatagit. Quod ſi pateretur laborum gradus fieri, ut in quo ſe vellet jactare, id diu meditaretur, jam illa grandis & ſuperba prætexta adipiſceretur aliquod præſumptionis ſuæ pondus. Nunc bullati in ſcholis ludunt, togati ridentur in foro, & quod utroque turpius eſt, quod quiſquis perperam didicit, in ſenectute confiteri non vult. Neque nulla hac

in re eſt anteceſſorum culpa, qui dum lucello inhiant, aut inanem gloriolam aucupantur, tyrones vix dum lectos rude donant: utque ex ludo ſuo, tanquam ex equo Trojano, multi pileati prodiiſſe videantur, dignos atque indignos juxta manumittere non dubitant. Quibus quidem idem uſu venire videmus quod oratoribus nonnullis, qui dum toto foro volitant, atque à cauſa ad cauſam eunt, pro inertię vituperatione quam aſpernantur, aſſequuntur etiam illam quam magis fugiunt, tarditatis atque perfidiæ. Illorum ſanè levius peccatum, quos non tam avaritia, aut ambitio, quam ſportularum tenuitas ad id impellit. Ut enim pleriſque aliis rebus à priſcis vincimur; ita liberalitate quoque & magnificentia ad vetera nomina non aſſurgimus: cumque pauciſſimi Mecœnates ſint, omnes tamen qui profitentur, Marones eſſe jubent. Minam qui numerat, non hoſtimentum laboris, ſed beneficium dare ſe autumat. Talentum qui pendit, haut jam noſtri vir ſeculi, ſed antiquæ munificentiæ magiſter audit. Hæc invidenda felicitas; quam rex imputat; in circulis vulgus queritur: nec animadvertunt, plus voci & lateribus ſuis debere præcones, longèque majorem conſtare reditum

tum sordidæ alicujus mercis negotiatoribus, quam divinæ atque humanæ sapientiæ mystis. Mirumne ergò uti nonnunquam doctos foro? servire rei atque tempori? Inprimis cum non omnes eo corporis robore nati sint, quo Cleanthes, ut diem studiis, noctem aquis hauriendis extrahere possint: neque rursus ea syderum scientia præditi, qua Thales Milesius, ut prævisa olearum sterilitate, oleum omne uno pretio avertere queant. Sed nec tam versatile quibusvis ingenium, quale fuit Eleo Hippiæ, ut non solum omnes artes ingenuas & liberales animo complecti, sed anulum quem digito gerant, pallium quo amiciantur, soccos quibus induantur, suamet ipsi manu conficere sibi possint. Sic satis difficile atq; arduum est in studiis aliquid facere, etiam cum solis Musis atque Minervæ te dederis, ut iniquissimus sit, quisquis à philosopho fullonem quoque atque textorem flagitat. Cum igitur tam multæ sint fundi literarii calamitates, quæ spem futuræ messis in herba necant, votorumque colonos damnari non sinunt, quid tandem faciendum, ut non solùm vernans ætas læta segete virescat, sed & adultum robur opima Cereris copia flavescat? Quandoquidem plurimum refert, quibus

rebus atque ſtudiis à teneris imbuamur, prima atque ſumma parentum cura eſſe debet, ut ne vim atque impetum ætatis, ſuapte ſponte ad honeſta tendentis, aſſentatione ſolvant, ſed lege cenſoria, & antiquis moribus contineant. Tum ipſa juventus laborum gradus pati debet: ac quod vult profiteri, id diu audire, multum ruminari, premere, verſare denique in omnes partes. Fruſtra enim ſperamus inanibus ſuppliciis, aut per ambitum & largitionis compendia in illud honoris culmen nos evaſuros, cujus calles atque ſaxa fas non eſt, niſi improbo ſudore perrumpere. Gnavis ut omnia proſpere cedunt, ita ſapientiæ quoque iter provenit: ſi deliciis atque ignaviæ te mancipaveris, necquicquam opem Dei immortalis implores; iratus inertibus infeſtuſque ſedet. Induſtria una virtus eſt, cujus impigro ſpiritu ſtudiorum curſus incitatur, per quam literarum gloria accenditur; cujus fido ſinu cunctæ diſciplinæ receptæ nutriuntur. Poſtremò, ſi quid animo, ſi quid manu, ſi quid lingua egregium atque excellens habetur, id ad faſtigium laudis induſtriæ ſubſidio perductum eſt. Ipſa verò, quanquam pulcherrima virtus cluet, tamen duramento ſui confirmatur, maximumque perficiendi operis adjumen-

jumentum, tenaci propoſito occupatæ inhærere materiæ. Non enim cœpiſſe ſatis; etſi hoc quoque magnum, ac penè pluſquam dimidium facti cenſetur: nec tutum aut remos inhibere, aut carbaſa ſubſtringere, quam ventis ſecundis, remigioque intento ad optatum laborum portum perveneris. Quam ridiculum, ſi carceribus emiſſus, tanquam quadrigis cum Scorpo Incitatoque certaturus, in medio circo deficiat: aut eductus ludo, tanquam ſinè miſſione pugnaturus, poſt unum alterumve ictum in arena concidat? Non effundit impiger animus uno impetu vires univerſas, ut inſtar volatilium quorundam amiſſo aculeo ſtatim torpeat. ſed & ad ſequentes conatus infractus manet: adeò ut ſupra vires niti, quam viribus ex facili uti malit; nec tantum quod poteſt pręſtare, ſed & pluſquam poteſt audere. Socratem legimus, tanta præditum patientia, tanto animi in tollerandis laboribus robore, ut ſteterit ſæpe pertinaci ſtatu, a ſummo lucis ortu, ad ſolem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iiſdem in veſtigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus, tanquam quodam seceſſu mentis & animi facto à corpore. Cujus contentionis atque fortitudinis tam grande

grande pretium tulit, ut ſapientiſſimus mortalium Apollinis oraculo judicatus ſit. Sapientiæ enim pulchritudinem, quam vulgus corporeis oculis cernere nequit, mentis acie ille perviderat: qua accenſus, nihil exiſtimavit tam arduum, ad quod non alacer impetus & ſolers induſtria penetrare poſſent. O utinam cum tanto viro, ſi non majora, ſaltem paria facere liceret; nec admiratio duntaxat inſignis patientiæ, ſed & contentionis ardor animis noſtris ſubiret. Optimum enim mortalibus illud virtutum certamen, quo ingenia aluntur; atque admiratio iſta, qua ad imitandum accendimur: cum natura ita comparatum ſit, ut quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendat in ſummum, facileque in primis conſiſtat, qui tranſiri eos poſſe confidit. Sed ſi philoſophi gloria minus nos ſtimulat, nec inviti cedimus iliis, quibus jam olim livor ceſſit; ſaltem ſtatuarum artifices pudorem nobis incutiant: ex quorum numero Lyſippum accepimus tam proni ſtudii, tam contentæ accurationis fuiſſe, ut ſtatuæ unius lineamentis inhęrentem, paupertas ante quam mors extinxerit. Ad hujus profecto induſtriam non acceſſiſſe ſapientiæ ſtudioſos & indignum, & turpe eſt. Quid enim habet tornus ad calamum? quid

quid marmor ad literas? postremò, quid
vultus de saxo ducti, ad divinam illam atque
admirabilem sapientiæ pulchritudinem.
Patiemur ergò, ut plus solertiæ opificum
pueris inesse videatur, qui artificiosa
magistrorum opera tanta diligentia
nitantur, ut superent sæpe, quos æquare
vix posse crediderant: nos verò, qui
sapientiæ amorem profitemur, ita molles
ab animo residesque erimus, ut studium
cum spe abjiciamus, nec sequi velimus,
quos assequi nos posse diffidimus?
Audeat aliquid triumpho dignum, quisquis
inter triumphales censeri concupiscit:
non enim virtus nisi audentes juvat,
frustraque titulos victoris exoptat, qui
contendisse, nedum vicisse non sustinet.
Verum, in ipsa illa contentione quam
laudamus, illud diligenter cavendum, ne
animus invidia exardescat, aut calumniis
æquales detineat: hoc enim qui facit, nec
se rectam virtutis semitã tenere potest,
concertatores iniqua obtrectatione ad
iter tardiores efficit. Igitur quemadmodũ
stadium currenti, quantum possis enitendum
ut vincas; supplantare eum qui cum
certes, aut manu depellere nullo modo
decet: sic in virtutis atq; studiorum cursu,
magis quisque intendere vires quam
manere debet; at poplites præcedentis
furtim

tores, ſed ab ipſo præmio fortitudinis fomenta ſumenda; ut quem nervi jam deſtituunt, cui genua labant, eum brachii ſpes atque cogitatio in certaminis gradum reponat. Ac ſicut olim quadrigis emiſſis, certi homines ad id in circo diſpoſiti, aquam aſpergebant: ita vos, ſi quem pileo honoratum in publico conſpexeritis, pileum aquam exiſtimetis, cujus rore reſperſi, novo impetu, iteratiſque nixibus ad metam laborum graſſemini. Nihil enim tam efficax in animis bonorum quam præmium, omneſque ad labores accendimur gloria. Nec illi ſolum, quos amor honeſti extimulat, ſed & iſti, qui virtutis incurioſi, quandam utilitatem ſectantur. Mirmilonem in Cæſaris ludo fuiſſe comperimus, quem ſpes pilei atque rudis ita inflammaverat, ut de rariobus munerum editionibus conquerens, identidem ingeminaret illud: Heu, quam bella perit ætas! Quam vereor, ut multi ex iſto veſtro cœtu ſint, quibus aut pugna cordi ſit, aut bellæ iſtius ætatis decurſus in damno computetur. Fallit pleroſque vivendi ſpatium, quod perbreve homini à natura datum, ut ſpeciem longi præberet in plures partes diviſum eſt: quarum prima pueritia, ſecunda juventus, tertia ſenecta nuncupatur.

patur. Hinc fit, ut dum vires sinunt, ætasque germinat, perinde ac si tria Nestoris secula, aut Tithoni ævum quisque victurus sit, pauci commissiones optent: pauciores facta potestate dimicare sustineant; mirmillonis autem animo ac viribus insurgat nemo. Verum, sumne ego ineptus, qui mirmillonem hic adduco? quasi non pro pileo integri gladiatorum atque fugitivorum exercitus conflixerint: qui sane documento sunt, pro præmio pugnare non tam arduum promtis, quam terribile ignavis esse Quid terribilius olim, quid periculosius, quam sustulisse oculos adversus Romanos? Tanta illis castrorum disciplina, tantus militiæ usus, tam crebra in armis exercitia atque decursns, ut cum à Gallis multitudine, à Germanis corporum proceritate, ab Hispanis robore, à Grecis artibus, ab Afris calliditate atque copiis superarentur, prope universas has gentes & nationes, sola militaris scientiæ laude subjugarint. Adversus Martium tamen hunc populum acerrimosque toto orbe bellatores, non tollere duntaxat oculos, sed & justa acie, cruentisque prœliis decertare Spartacus sustinuit. Gladiator iste effracto Lentuli ludo non plus XL. ejusdem fortunæ viros eduxerat. quantula manus adle-

ad legiones? quam pudenda turba ad cohortes? Retia scilicet, & fuscinas suas horrentibus Romanorum oppositura pilis? Non ea Spartaco væcordia, ut majores ludo quam Latio vires esse crederet: alia illi mens, nec vana auxiliorum fiducia: servis ad pileum vocatis, decem & amplius virorum millia cœgit. Hac manu primum circa Vesuvium montem Clodii Glabri prætoris castra cepit. Dein auctis viribus ad modum justi exercitus, in Apennino consulares legiones Lentuli, magno animo, magnaque vi cecidit; apud Mutinam C. Cassii castra delevit. Vix tandem, ac totis imperii viribus commotis nomen Romanum Licinius Crassus asseruit: à quo victi fugitivi, cum circa Brutium angulum obsiderentur, eruptione facta, dignam viris obiere mortem. Spartacus ipse, in primo fortissimè dimicans, quasi Imperator occisus est. Quod si fugitivis & gladiatoribus is animus, ea in prẹliis pertinacia fuit, ut & castra prætorum ceperint, & consulares exercitus fuderint; postremò obsessi virorum fortium mortem oppetere potius, quàm in hostium manus incidere voluerint: quid nobis faciẽdum, qui sané neque fugitivi, neque gladiatores sumus? Quis animorum ardor, quanta in præliando con-

constantia esse debet? Profectò eo major, quo minus in nos licet incertæ bellorum fortunæ. Quid enim in animum juris victor habet? Quid gladius aut tortor tyranni? Verberet ille, secet, urat victos: stat firmum atque immobile viri sapientis pectus, citiusque oculos ei & vitam, quam, quæ carior est oculis & vita, virtutem extorseris. At enim cujusmodi tandem id præmium fuit, quod tanto cruore, tam obstinato corporis atque mentis ausu fugitivi sibi petendum censuerunt? Pileus, pileus inquam, victoriæ pretium fuit: quem quoniam insigne libertatis Quiritibus esse placuerat, tanti optimus quisque ac pessimus æstimavere, ut sinè eo nec vita, nec quæ in vita charissima, grata aut jucunda videri possent. Hæc causa est, ob quam istud servulorum recens manumissorum tegumentum, non puduerit interdum summos principes, & victorem orbis populum gestare. Prusias enim Bithyniæ rex victo Mithridate pileatus Romam venit, gratiasque agens Senatui, ob fractas potentissimi hostis opes, non oratione duntaxat, sed & habitu libertum se populi Romani professus est. Ipsi quoque Quirites, quanquam terræ marisque jam potentes, tamen hoc capitis gestamen dedi-

gnati

gnati non sunt. Non solum enim Saturnalibus pileata Roma fuit, quando æquo jure cum heris suis servi censebantur: verum etiam Nerone oppresso plebs pileata per urbem discurrit, ut ipso cultu testaretur, recuperata postliminio libertatis jura, postquam cecidisset ille, qui ingenuitatem suppliciis & metu deterere potius, quàm libertate & amore retinere studuerat. Brutus quoque Cæsare in curia trucidato, sub pilei figura duobus pugionibus cincti, percuti numisma jussit; documento futurum, quantum respublica conjuratis deberet, quorum opera & periculis è gravi servitute esset emancipata. Cujus factum laudabili exemplo Belgæ fœderati secuti, postquam excusso intolerando Hispanorum jugo, vi manuque ipsi se in libertatem vindicassent, ut restitutæ reipublicæ testimonia in ævum duratura extarent, sub eodem signo numos flari feriri jusserunt. Quæ omnia, quanquam per se satis magnifica sunt, meo tamen judicio ad commendationem longè majus ac magnificentius illud, quod unus quandoque pileus, ægræ, & afflictæ, ac penè depositæ reipublicæ subvenerit. Etenim Cannensi prælio attritis viribus, exhausta juventute, cum tâ tum non desperarent de rerum summa

patres,

patres, ad pileum, tanquam ad aſylum & ſacram anchoram confugerunt. Jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat Hannibal, jam ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur: cum Dictator creatus M. Junius octo millia juvenum validiſſimorum ex ſervitiis armavit, atque ſpe pilei injecta tantis in hoſtem iris animiſque eduxit, ut nulli globi tam firmi, nullæ acies tam confertæ viderentur, quas non virtute perrumpere ſe poſſe ſperarent. Nec fefellit eventus reipublicæ vota; quæ adeò forti, adeò fideli ſervorum opera tempore ſuo neceſſario uſa eſt, pene ut pileus ſervaſſe urbem videri poſſit, quam temerariæ Coſſ. Sempronii, Flaminii, atque Varronis purpuræ perdiderant. Hoc ſanè eximium decus, & in omne ævum duratura gloria, triumphaſſe in Italia de Pœnis pileum, de quibus prætextæ in eam diem ne ovare quidem contigerat. Enimverò, quieſſe jam pileus poterat, tantiſque rebus geſtis parto decore ſuperſtes frui: verum, non conſtitit intra hos celebritatis terminos, trangreſſuſque vulgata nominis ſpatia, etiam in excelſum honoris culmen erupit: cumque hactenus libertatis duntaxat indicium fuiſſet, ſubinde dignitatis quoque & exiſtima-

mationis argumentum haberi cœpit. Quo autem tempore, quibusve auctoribus primulum eruperit, etsi in obscuro latet, tamen ut est interdum curiosa magis quam diligens vestigantium sollicitudo, ad veteres Gothos referri posse putavit: apud quos, si Jornandi fides, ita antiquitus fuerat institutum, ut pileum ferre non nisi nobilitate conspicuis, aut sapientiæ laude inclutis liceret. Nec censu duntaxat ante comatos pileati habiti; sed & funestis imperii temporibus, cum extincta regia stirpe, de successore comitia calarentur, suffragiis procerum ex pileato ordine tanti fastigii heres deligebatur. Ea denique animos Gothorum opinio, is pilei insederat respectus, ut potentissimus eorum rex Decebalus, qui Domitianum Cæsarem pene vectigalem habuit, pacemque qua prece, qua pretio vendidit, cum prima ad Trajanum legatione capillatos misisset, nec efficax pro votis officii fuisset fides, secunda vice pileatos legaverit; sperans, quod coma non impetrasset, id veneratione sui pileum obtenturum. Postquam verò vastatis Thraciis atque Illyrico Italiam ingressi Gothi sunt, credibile videbatur, una cum lingua & moribus, pilei quoque venerationem ab iis fuisse propagatam. Eo amplius cum

Gothorum olim in Cimbrica Cherſoneſo vicini Angloſaxones fuerint, illud quoque tanquam veriſimile blandiebatur, venerationis iſtius reliquias in Britāniam ab Anglis illatas, ubi hodieque diſcriminis inter comatos & pileatos veſtigium non leve relictum eſt. Verum etſi blandiri hæc conjectura viſa, eblandiri tamen animi adſenſum non potuit; quandoquidem videbam, jam diu ſtylo doctorum virorum confoſſum eſſe illum Jornandis errorem, quo Dacos cum Gothis tam turpiter confundit, quam ſi aut Ararim cum Tigri, aut Iſtrum cum Ibero commiſceret. Utcunque ſit, cujuſve cunque hoc ſit gentis aut nationis inſtitutum, illud ſanè perſpicuè demonſtrari poteſt, & ineſſe pileo huic noſtro dignitatis venerationem, & non ſinè cauſa ut ineſſet placuiſſe. Etenim ille pileus, quem Roma quondam, cum luſtrum conderetur, raſo capite ſervis imponebat, quanquam libertatis rei inæſtimabilis index eſſet; tamen ſi Athenæo credimus, nec figura ſatis concinnus, nec pretio materię commendabilis fuit: quippe è villis ovium craſſioribus malè conſutus. At noſter pileus, præterquam quod forma commendatur, etiam materiæ bonitate pręcellit. Non enim è villis, ut ille,

ſed

ſed vellere conſtat ſerico: quod, ſi pretium ſpectes, auro contra vetuſtas æſtimat: ſin uſum, non niſi viris illuſtribus atque dignitate excellentibus leges Romanæ concedunt. Quarum ſententiam Germani ſubſecuti, conſtitutionibus imperii cum ſericeas veſtes in univerſum plebeis interdixerunt, tum nominatim pileum quoque hunc, quem beretum ipſi vocant, nobilitate duntaxat, aut ſapientię titulo decoratis permiſerunt. Ac licet ſumptuariæ leges, qua veteres Romanorum, qua novæ Germanorum, partim oblivione deletæ, partim contemtu abolitæ ſint, pileo tamen huic noſtro integrum & illibatum decus hodièque conſtat, dum deſpicit eos, qui ante ſapiétiam deſpexerant, indoctorumque capita faſtidiosè tranſiliens, non niſi doctorum vertices tegere atque ornare ſuſtinet. Contemſerit hunc fortè Protogenes aliquis, riſerint Diphilus atque Erimanthus: ſtat contra tota eruditorum natio, pileumque ſuſpiciunt, quicunque doctrinam amant: quorum exiſtimatio atque auctoritas plus apud bonos ponderis, quam ſexcenti cerdonum cachinni habent. Noſne moveat cimex Pantilius, potius, quam ſapientiſſimi mortalium Veneti, qui apicem iſtum, quem ducalem prop-

terea appellitant, non nisi imperatori exercitus, perinde ac paludamentum gestare concedunt? Nos pensi habeamus, quid Fannius atq; Demetrius garriant potius, quam quid sentiat facunda Gallia, quæ pileum hunc nostrum honestissimo judicantium ordini proprium atque peculiarem dicavit? Porrò quis casu, non consilio, quis forte non ratione factum autumet, ut indicem dignitatis pileum esse voluerint, quicunque tandem & ubicunque sint istius inventi auctores? Nam si servis pileus dabatur, cum censum inter cives professi, illa fortunæ servitute liberabantur: quanto magis illi pileo donandi, quos ex deterrima animi servitute virtus atque industria manu miserunt. Et si, qui liberaliter domino servierant, ob id ipsum libertatis insignia pro præmio consequebantur: quanto magis hoc signum illis tribuendum, qui non vilibus ministeriis detriti, sed liberali doctrina atque sapientiæ studiis imbuti sunt? Inprimis, cum hi causam consilio semper probent: illi nisi lex Ælia Sentia obstaret, dominusque xx. annis minor esset, & sine causæ cognitione manumitterentur. Præterea si in illa humanitatis parente Assyria, urbe Hierapoli, simulacro barbati Apollinis calathus aureus impo-

impoſitus eſt, quod calathus iſte ſurgens in altum, monſtraret ætheris ſummam, undeSolis creditur eſſe ſubſtantia:quid de pileo hoc noſtro ſentiendum,qui etſi leviter aſſurgit, ambitu tamen rotundo, non ætherem modo,ſed & univerſum terrarũ orbem adumbrat? Nunquid aliis ille donandus, quam ſapientiæ ſtudioſis, qui corpore remoti, mente cœlos adeunt, ac ſicut pileus verticem, ita ipſi naturam ingenio ambiunt & complectuntur? Adeſte igitur animis, juvenes, quotquot adeſtis corporibus; atque ad præmium hoc noſtrum omni ope, omnique conatu contendite. Non ego ſtruthiorum ova vobis propono, ex quibus ſingulis in æquas partes diſſectis, extremos hominum Garamantes binos ſibi pileos confeciſſe accepimus. Sed nec ad Heſiodi pileum vos voco, qui cum fratri Perſæ prҿcepta daret, ſpiſſum & benè elaboratum parare juſſit, ne ſi forte ſubitam tempeſtatem agris immiſiſſet Dieſpiter, multo nimbo aures arantis & capilli madefacti ſtillarent. Nihil iſte ad noſtrum ſenſum, qui neceſſitati duntaxat ſervit:ad illum vos voco, qui libertatis quoq;virtutis & eruditionis argumentum habetur. Munit quidẽ caput adverſus cœli injurias:ſed

habet id commune cum penula & petasone. Probat idem libertatis jura, quibus nihil in vita jucundius: verum & hoc, quanquam satis grave, & ad persuadendum efficax esse debet, participat tamen pileus ille villosus manumissorum. At quod legitimæ scientiæ, quod dignitatis insigne sit: hoc totum, quantumcunque est, totum, inquam, pileus noster sibi vindicat, nec laudis istius æmulum aut consortem patitur. Ad quem dum velis remisque enitimini, nihil vos Platonis auctoritas in cursu moretur: qui quanquam humanæ sapientiæ princeps cluet, nulla tamen ratione civibus suis pilei usu interdixit, quod falsò putaret, capitis virtutem a natura nobis datam, peregrini tegumentis corrumpi: Sed nec illis vacivæ præbendæ aures, qui Æthiopes nobis objiciunt: quos, quia caput nudi sub dio agunt, ita Solis radiis adversus plagas indurari *jactant*, vix ut gladiis impactis & securibus ossa cedant: Persarum contra, quod tiaris operiantur, tam infirma capita, ut levi ictu, ac propè lapilli jactu perfringi atq; perforari possint. Perinde enim hi arguunt, ac si necesse foret extrema linea tendere, nec inter prærupta & depressa, medius aliquis atque tutissimus trames daretur. Quod si

aliis

aliis in rebus mediocritas optima, cur non hac quoque parte probemus illud, Ne quid nimis; ut nec ſemper tecti, nec ſemper nudi degamus: quandoquidem illud quidem ſolutius, hoc verò prædurum atque agreſte videtur? Poſtremò, dum galeæ criſtæque patiens caput ſit, nec aures doleant ad tubarum clangorem, quid opus metamorphoſi? quid ſiliceis militibus? non hoſtium iſta, ſed puerorum terriculamenta ſunt, quoſcunque Perſeus objecta Gorgone in ſcopulos converterit. Quid, quod adverſus ſubitos caſus, & improviſam mortem neceſſarium ſæpè tegumentum eſt? Res profectò memoranda, cum eventus novitate, tum exempli profectu, ut doceamur quid pericli ſit, ſinè pileo ſe cœlo credere. Æſchylus ille fortioris tragœdiæ parens, urbis Siculæ mœnibus, in qua morabatur egreſſus, aprico in loco, ſine ullo capitis tegumento reſederat. Jamque ſecurus fati, fortè grandes cothurnos, & graves tyrannorum exitus, digna denique trago nomina ſibi fingebat. Quis potuit ſperare? aquila teſtudinem ferens, cum calva ſenis ſaxi ſplendorem mentiretur, capiti ejus, perinde atque lapidi prædam illiſit, ut fractæ carne veſceretur: quo ictu vir innocentiſſimus, ſed hoc

uno incautus, quod finè pileo prodiisset, extinctus est. Erat nunc Plato, atque lege lata pileum è civitate sua extermi-net: cognitum experimento est, potuisse senis optimi vitam produci, si quod hi-ctenus nulla lex vetuerat, pileo aprici-turus caput muniisset. Quid, quod non munit tantum adversus subita, sed & calvitii pudorem pileus tegit, nec ullum deformitatis istius honestius velamen-tum, quàm apex ob virtutem & erudi-tionem donatus? Cæsarem legimus, quod impatientius comæ damnum ferret, ex omnibus honoribus è Senatu decretis, non alium aut cupidius acceptasse, aut libentius usurpasse, quam jus perpetuæ laureæ: nulla enim coma, nullum co-rymbion tam elegans atque ornatum esse potest, quàm serpens per tempora virtu-tis honor. Hujus summi imperatoris e-xemplum imitari vos decet, ut dum cor-pus, annique laborum patientes sunt, aut lauream militiæ, aut pileum domi vobis paretis, ne si comtam istam & delibutam cæsariem rapaces anni deprędati fuerint, cæperitque area esse, ubi nunc cincinno-rum fimbriæ sunt, dicteriis obnoxii sitis, atque scommatis quæ in calvos jaciuntur; nec minus venerabilis senectus vestra sit, quàm virens atque formosa juventus fuit.

Falli-

Fallitur quisquis sperat, empto decore tutum se adversus dicaces fore: non enim in calvos duntaxat, sed & in comatos Poetæ stylum stringunt. Ridebit alius caput calceatum, alius aures lana alligatas: alius exclamabit: Calvo turpius est nihil comato! alius deficientis hinc & inde capilli reliquias intuens: Vites censeo porticum Philippi, Si te viderit Hercules, peristi. Parandum igitur ejusmodi præsidium, quod non solum boni ultro laudent, sed & petulantes si velint, vituperare non possint. Est autem nihil omninò, quod à contemtu magis vindicet, quam honor virtute partus: per quem etiam obscuri homines clari exinde & nobilitatis potentes habentur. Ac licet vetus nobilitas impensè novitati invidere soleat, frangit tamen in excellenti probitate livoris genuinum, dumque fragili robiginosos dentes nec quicquam illidere parat, à solida virtute repulsa atque prostrata concidit. Quanta curiam de Cn. Flavio indignatio pervasit, cũ libertini filius, ob communicatas populo legis actiones, ex scriba Tribunus plebis, & Senator, & ædilis curulis factus esset; non solum enim annulos & phaleras nobilium plerique posuerunt sed & cũ ad collegam ægrũ visendi causa fortè venisset, ex patriciis adolescentibus,

qui ibi aſſidebant, nemo venienti aſſurrexit. Tulit graviter vir cum meritorum fiducia fortis, tum contemtæ dignitatis ultor callidus, ſellamque ſuam curulem adferri ſibi juſſit: qua occupata, anxios invidia honoris ſui inimicos deſpexit, pulcherrimumque tanquam de victis hoſtibus triumphum egit. Quod factum, uti generoſæ fiduciæ plenum, ita ſapientiæ ſtudioſis imitandum quis duxerit, ut ſi quando proceſſui honorum ſuorum inviderі ſenſerint, pileum ſibi, & togam anulumque adferri jubeant; quibus ornati pudorem incutiant univerſis, qui non perſpectam virtutem, ſed auditam nobilitatem, & fumoſas atavorum imagines in medium adferre ſolent. Verum, non eſt ſapientis adverſus ſuperbiam pari certare contumacia, cavendumque diligenter, ne dum dignitatis minutæ vindices agimus, pro modeſtia tumor, pro fiducia ferocia nobis obrepat. Habet enim hoc incommodi nova fortuna, ut novas quoque ſpes adferat iis, quibus incremento aliquo arriſit, dediſcantque naturam, quicunque ambitioni ſe dediderunt. Itaque pro induſtria primùm negligentia eis ſuccedit: dein ſuperbia: poſtremò luxus, ejuſque gnata inopia interficit. Adverſus hanc

peſtem

pestem nullum præsentius remedium, quam modestia: neque enim à periculo longius absunt, quàm qui ita securi honorum sunt, ut tamen se ipsi summittant fortunæ. Sedeat igitur, sedeat sanè vertici apex iste; quem Themis ob virtutem donat: sed non ita fixus atque immobilis, ut Terminus quondam, qui nec Jovi ipsi voluit concedere. Quid enim superbius, quid inhumanius, quàm salutantibus vicem non rependere, ac tecto capite, clauso labello vix oculis & aspectu prætereuntes dignari? Quorum reverentia si nihil nos movet, saltem pericula aliena deterrere debent: neque enim omni metu fastus expers, inulti semper moriuntur, quos alto supercilio contemsimus. Documento legatus quidam, ad nefandum Moschorum tyrannum Basilium, cui pileus intempestivè sumtus exitii, & quidem crudelissimi causa fuit. Peractis ille mandatis, seu errore ductus, seu ambitione impulsus, texerat fortè injussus caput. Exarsit illicò ira tyrannus, totoque ex ore atque oculis ultionem spirans, cum expectarent omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset; repente marculum & clavos adferri imperat. Attonitis sævitiæ ministris quid sibi vellet, & jam crucem, aut si quid cru-

& superbiam quandoque periclitati fuerimus, plus pileus obfuisse, quam profuisse videri possit. Qua propter vos, juvenes præstantissimi, etiam atque etiam exhortor, ut si aurea illa libertas, quam animi esse diximus, si dignitas vitæ, si nominis claritudo, qua supra vulgus assurgimus, vobis curæ cordique est; ad pileum hunc nostrum omni quidem ope contendatis: verum ubi perveneritis, ita parto fruamini, ut ne pileo mores, sed pileus moribus cessisse videatur. Ut enim quantælibet opes, si non ostentes, perfacilè sinè damno habentur: ita honores quoque, nisi insolescas, haud difficulter sinè exitio geruntur. Rarò invidetur iis, quorum vis non timetur: at qui modum in voluntate habent, & titulos in occasione licentiæ cujusdam computant, hi omnium ordinum atque ætatum odia incurrere solent. Quorum vestigia ne sequamini, ante oculos vobis ponite plurimorũ naufragia, quos arroganti felicitate longius provectos, improvisus odiorum turbo perculit. Cogitate, quęso, quã sit instabilis, quã fluxa fide fortuna: cui nõ satis est turbasse sępius spes rationesq; nostras, nisi easdẽ prorsus conturbaverit. Pro calculis enim mortales habet, qui ut in abaco ratiocinatoris modò chalcũ, modò ta-

lentum valent:ita homines pro lubitu fortunæ, modò beati, modò miseri & calamitosi existunt. Utriusquè tamen sortis arbitri atque dispensatores sapientes cluent, qui nec adversus blandientem incauti, nec adversus instantem feroces sunt. Horum vestigia si æquo gradu, paribusque spatiis subsequi volueritis, inter clivum Capitolinum & summænianos fornices iter pernicie ac periculis vacuum experiemini.



ANTO-

ANTONII MATTHÆI

ORATIO VIII.

IN

SIMULATOREM.

Recitata VI. Id. Febr. M. DC. XLII.

Cum Iuvenes Præstantissimos,
CORNELIUM de BEER,
THEDORUM à MERKERCK,
GERARDUM SNOECK,
Summis in Vtroque Iure honoribus ornaret.



Uanquam in omnibus caussis plurimum eloquentia potest, maxima tamen vis atque admiratio in judiciis elucescit; cum aut meritas de nocente pœnas expetimus, aut innocentium famam, fortunas, vitam, contra improborum calumnias defendimus. Ac licet tueri reos, quàm facere vir bonus malit; propterea, quod non modò sordidum, sed & periculosum sit, committere ut quadruplator nomineris: non tamen ita munus accusandi horrere debet, quin patriȩ amore victus, publi-

publicam salutem ante rumores vulgi collocet. Etenim delatoris nomen etsi nunquam ferè bonum fuerit, nisi sub malo principe; semper tamen in rectè constitutis civitatibus hæc ratio accusandi summopere probata est, non tam privata cupiditate accensum, quàm publico periculo impulsum rostra conscendere; pro patria, pro sociis, pro salute provinciæ verba facere; operam, studium, laborem in peragendis hominibus sceleratis interponere. Hunc morem, siquidem ex prisca consuetudine repetere nobis liceret, nusquam credo forent, qui nunc passim peculatu, perjuriis, vi, venenoq; in civitate grassantur. Sed quoniam optare magis, quàm sperare licet, Valerium illum Licinianum imitabimur; qui cum exul de senatore, rhetor de oratore factus esset, in discipulorum corona, quoniam pro rostris non licebat, de fortuna præfationibus se vindicabat: itidem nos, quoniam foro excludimur, atque à tribunali virga lictoris summovet, quod proximum est, quodque solum licet, in Academia reos faciemus. In qua, ne judex quæstioni desit, vestra, A. O. cognitio erit: apud vos, tanquam apud judices sorte ductos reum hodiè faciam, non Similem illum, virum fortissimum, qui mul-

tis rebus præclarè gestis in agello suo innocenter consenuit: sed hominem sacerrimum Simulatorem, qui præter multas peccandi causas, quas natura ei suppeditat, ita per omnes scelerum vias grassatus est, ut vix ulla lex publicorum privatorumve judiciorum nominari queat, quam non ille sæpius perruperit atque violarit. De quo Resp. tota si una voce queri posset, ita diceret: Quicquid pudicitiæ atque probitatis mihi domi, quicquid fidei in foro, pietatis in templis superfuit, id omne unus abstulit Simulator: quo nomine non, ut Siculis quondam, sestertium millies, sed jus civitatis ab eo repeto, publicéque scelus in solas terras deportandum censeo. Si universa, ut dixi, Resp. queri posset, hoc stylo uteretur: quoniam id non potest, actorem harum rerum idoneum sibi dari postulat. Quem quidem utinam ex iis nacta foret, qui eloquentia atque auctoritate valent: ad nos quoniam deventum est, dabimus operam, ut si hominem minus facundum, saltem constantem atq; fidelem nacta videatur. Tergiversandi sanè locus nullus relictus est, cum longè sit satius, vel minus idoneo postulãte hominem flagitiosissimũ legibus interrogari, quã pati diutius, ut sine accusatoris metu leges civita-

 tis

tis per vim ambitumque pessundet. Sed quia gravissimorum criminum reum acturus sum, ne ea supra veri fidem vulgus putet; utpote, cui inepta credulitate fermè persuasum sit, virum bonum esse, quisquis vultum bonum habet: antequam ad crimina descendamus, vitam rei anteactam paucis commemorabimus. Ita enim fiet, ut ubi & infeliciter natum, & flagitiosè institutum audiverimus, illud quoque intelligamus, quàm non incredibile sit, paulatim ex improbo turpissimum factum esse. Igitur, ut ab ovo quod ajunt, ordiamur, nemo est qui nesciat, primam virtutis & probitatis spem esse, benè gigni. Sicut enim artus & robora, ita virtutem parentum partus referunt; nec magis ex improbo integer nasci, quàm imbellis dama taurum, aut timida columba ferocem aquilam dare potest. Quod si quisquam est, cui infeliciter gigni contigit, is profectò Simulator est. Apud perfidos Pœnos, patre Hannone Perjuro, matre Callidia Blanda satus: quibus, cum majores nihil præter logos, natura nihil melius quam linguam reliquissent, linguam in quæstum contulere, logis usi sunt, ut occultius fallerent. Nam cum viderent, anceps plerunque honesti utilisque discrimen, & esse utri-

usque

usque confinia quædam, ex quibus facile alterum in alterius speciem transire posset: callido commento honestum quidem laudare, uti sequi instituerunt, ut & cum hoc sequerentur, illius tamen sectatores apparerent. Qua fraude cum simplicioribus imposuissent, non solùm ad opes non spernendas, verùm etiam plebis suffragiis ad honores invidendos pervenerunt. Nullum illis piaculare malum, nisi aut fructus dispareret, aut spes fallendi decollaret. Quod si latere se posse putarent, nec falso in aliena testamenta irrepere, nec specie tutelæ pupillorum rationes distrahere, nec invocato numine de sorte pejerare religio fuit. Oderant enim sapientem, qui sibi non saperet. linguam autem quærendæ, non perdendæ rei causa sibi datam rebantur. His parentibus prognatus Simulator, atque ab eisdem nova sapientia imbutus, dum sibi magnificum putat, quod illis fuerat lucrosum, altius etiam atque majores insurgere, privatoque patrimonio non contentus, de summa reip. cogitare cœpit. Cujus ut pollens potensque fieret, non tam virtute, quam ambitu laborandum sibi duxit. Virtutis enim semitam longam esse inaudierat, asperam, atque difficilem; in qua superanda plerique defi-

deficerent ante, quam ad metam laborum perveniſſent. Ambitus contra breve atque expeditum iter, quo facile provehèrentur in altum, qui non tam factis, quam verbis, non virtute, ſed oſtentatione virtutis auram popularem captare norunt. Non illos prudentes cenſendos, qui rectorum & turpium diſcrimina tenent; ſed qui populi naturam & modos temperandi callent, ut ſeu in foro cauſa peroranda, ſeu in curia ſententia dicenda, ſeu in campo incerta comitiorum alea tentanda, in omni re atque loco ſint vulgi favor & ſuffragia parata. Nec metuendum, ne in ipſa ſimulatione tanquam in flagitio deprehendamur: paucos enim prudentia honeſta ab deterioribus diſcernere; plures ſpecie virtutis habituque moveri. Poſtremò ita in animum induxerat Simulator ſuum; nihili eſſe hominem in Rep. niſi faver & verſipellis ſit; ut & bonis bonus, & malis malus fieri, & utcunque res eſt, ita mores animumque mutare queat. His ille monitis præmunitus, cum ad honores grandibus gradibus feſtinaret, nihil prius, neque antiquius habuit, quam ut neglecta ſterili virtutum vitiorumque contentione, ambitus leges ad unguem noſſet. Parum enim exiſtimabat candidatum ſe pro-

profiteri, nisi & in appellando blandus, & in conveniendo assiduus, & in largiendo benignus visus esset. Itaq; quod primum ambientium blandimentum habetur, nomenclaturam didicit, ut seu matutinũ ave portandũ, seu occurrentium aliquis prensandus esset, suo quemque nomine salutare posset. Sed quoniam difficile erat, in magno populo singulos nosse, non dubitavit nomenclatorem ad latus ducere, qui obviorum titulos, tanquam ferentarius aliquis tela subministraret. Nec tamen in omnibus salutandis tantundem studii atque operæ ponebat: noverat enim, universarum ferè tribuum eam esse conditionem, ut pauci in iis & factiosi dominarentur: reliqui aut pedibus in istorum irent sententiam, aut si hiscere contra vellent, numero tamen punctorum vincerentur. Quare si quando Simulus ei & Crito occurrerent, cives quidem boni & innocentes, sed qui ob id ipsum minus apud cerdones possent, neglectim salutabantur. Sin Marius aliquis, aut Carbo vel è lõginquo apparuisset, ibi nomẽclator ille, hactenus securus, domino securo latus ferire, monere: Hoc age, here! hic Sentius, ille Saturninus est, qui plurimũ in Scaptia tribu valet: Hic Glaucia ex cujus ore pendet Poblicia: Iste verò Icilius, qui familiã

ducit

cit in Velina. Non est, quod Titium & Sejum moremur: Bulbus in comitiis dominatur: In sua potestate Gutta & Stalenus ebur habent. Tu, si sapis, probos & pusillos viros non floccifeceris! Digna res visa, in qua mancipio liber, servo herus pareret: Itaque haut secus ac jussus, composita in adulantis speciem fronte, quam poterat blandissimè Deos suos salutabat. Utque non vultum duntaxat, sed & manus, pedesque orationi commodaret, sic manibus, sic pedibus argutabatur, tantum basiorum, tot popysmata, tam crebros amplexus dabat, penè ut mimus è candidato factus videretur. Æsopum & Roscium, ludicræ artis peritissimos viros, Hortensio agente in corona frequenter adstitisse legimus; non tam quod eloquentia ejus caperentur, quam ut foro petitos gestus, ad scenam transferrent. O miseram diligentiam, & si bonas horas æstimes, penè infructuosam. Compendium laboris factum oportuit, Simulatorem spectando: quicquid in voce blandum, in corporis motu decens est, ejus thesaurum inexhaustum possidet Simulator. Gallia morum civilitate nulli cedit: jamque à multis magno sumtu peragratur, ut quemadmodum veteres Athenis, ita nostri Lutetiæ humanitatem

tatem imbuant. Næ illi neſciunt, quanto impendio quantas nugas agant! Simulatorem ſectentur; is Galliam univerſam domi habet. Euge! quam comiter ſalutat! quam blandè prehendit manum! ut amicè complectitur! Credas amatoris eſſe oſcula! ita ex vultu quoque & oculis elucet affectus! Ubi, es Pub. Scipio Naſica, qui adoleſcens ædilitatem curulem cum peteres, duratam ruſtico opere civis manum odorare non ſuſtinuiſti? Quanto te ſapientior Simulator; qui non ſolum callos civium, ſed & ſtigmata vibiceſque ſervorum deoſculari ſuſtinet. Non ille cultis largiri, non delicatis ſupparaſitari recuſat: Ehem noſter Geta! quid fit? quid agitur? Servum te maximi pretii! O quam Stiche, ſervis liberaliter! Ita libertas lepida te amet! Heus Syriſce, accede propius, ut tibi demulceam caput. Poſtremò vix quicquam aberat, quin è fornice quoque ſapientiam peteret, atque amatoris inſtar ancillis inaures promitteret, ut ſe libenter viderent, quum ad heros earum viſeret. Quicquamne potuit fieri demiſſius? quicquam abjectius? ferri tamen ineptiæ poterant, niſi ex adulatore diviſor factus, tribuum ſuffragia pretio ſollicitaſſet Qua in re non ſolum occultus, ſed & ita largus fuit, vix

ut

ut credi poſſet, ſordibus partas opes, quæ tam liberaliter erogarentur. Non ille ſportulam, non centum miſellos quadrantes, ſed rectas cœnas dubiaſque prębuit. Pauperis eſt turdum mittere, aut ficedulam: nec multum ſpei in boletis: ventrem ſaginant placentæ, non loculos. Magnis reus noſter ſeſtertiis pugnat: quibus qui pugnant, iis nihil inexpugnabile eſſe didicit. Ac quanquam in omni vita id ſolum honeſtum, quod utile, putat: nunquam tamen dubitavit opes ſimulatione quæſitas, alia ſimulatione non tam profundere, quam viſcatis muneribus inter tribules dividere: quippe, qui probè noſſet, ſapientis eſſe pecuniam negligere in loco: majore cum dote lucra quædam ad herum redire, quàm olim ab eodem abierint. Interea nec occultis calumniis competitores differre, nec minis ab ambitu deterrere ceſſabat; quoſque virtute depulſos oportuit, eos fictis criminibus infamare non erubuit. Prorſus enim pro oraculo & foliis Sibyllæ venerabatur illud ſycophantarum; Calumniare audacter: ſemper aliquid hęret. Neque defuit fortuna tam maligno hominis conſilio: calatis enim comitiis, cum plebs ſuffragia iniret, tametſi & Lælii ſapientes, & Scipiones magnanimi, & fortis Cæſar,

&

& invicta Catonis virtus in civitate essent; omnium prope tribuum suffragiis dictatura ei delata est: tantusque plebis concursus atque gratulatio fuit, ut humeris multitudinis domum reportari videretur, qui pedes in campum processerat. Audistis, judices, quibus artibus honores adeptus sit; ambitu nimirum, & corruptis per adstipulatores tribuum suffragiis; quod quanquam vel solum grave crimen est, tamen quoniam ad alia longè graviora propero, gratiam homini legis Juliæ non invitus faciam. Audiamus, quemadmodum honores gesserit. Postquam compos votorum factus est, ne repentè deprehenderetur turpissimus, quam hactenus graphicè finxerat, sustinuit aliquandiu personam: mox ubi confirmatum sibi imperium vidit, qua non scelerum licentia in Rep. grassatus est? quod usquiam tam pudẽdum nefas, ad cujus cogitationem ille cohorruerit? Grande flagitium incestus est: infame adulterium: nec minus sceleris in peculatu. quid dicam de sacrilegiis? quid de veneficio? quibus omnibus licet tu, Simulator, totus contaminatus atque coopertus sis, tamen reum te nunc non faciam: non quod infra animadversionem judiciorum sint; sed quod ludus jocusque prę

illis, quæ tu in universa Rep. paras:
Quare nec illud dicam, quot testamen-
suppresseris, quantum numorum adulte-
raveris, quot homines liberos verbera-
veris ad necem: Hoc dico; quicquid cæ-
dium, populationum, incendiorum ali-
quot retro seculis factum est: si quæ ur-
bes eversæ, provinciæ exhaustæ, natio-
nes deletæ, id omne te auctore, tua op-
consilioque factum esse. Atque hoc ut
dico, ita tabulis, testibus, argumentis
comprobaturum me spero, ut aut hic
reus, judices, damnandus vobis sit, aut
judicia posthac in Academia nulla futu-
ra sint. Equidem omnes ferè accusato-
res Serviliam legem laudant, qua leg-
eis CXX. hominibus testimonium de-
nuntiare licebat, cum in pecuniariis cau-
sis non inviti sed voluntarii testes surge-
rent. Nos etsi latorem laudamus, bene-
ficio tamen legis nequaquam utemur:
præterquam enim quod voluntarii te-
stes undique plurimi se offerunt, & qua-
si occurrunt: etiam totæ provinciæ ad
dicendum testimonium paratæ adstant.
Quas quidem & interrogandas ut lubet
dabo: age si quid potestis; aut tu, aut pa-
tronus tuus: non invidebo laudem illam
oratoris: Benè testem interrogavit. Cal-
lidè accessit. Reprehendit. Quo noluit
adduxit.

adduxit. Convicit, & elinguem reddidit. Surgit in te testis Italia, quam tu cædibus, incendiis, direptionibus exhaustam, intoleranda servitute oppressam, vinctam tenes. Surgit in te testis Gallia, quam tu totos xxx. annos bellis civilibus ita afflixisti, ut nulla civitas tam munita, nullus angulus tam remotus fuerit, in quo non sævitiæ & crudelitatis tuæ vestigia impressa cernerentur. Surgit in te testis Belgica, in qua tu multis annis tanta immanitate atque libidine bacchatus es, ut nisi liberator Arausione, tanquam sydus salutare affulsisset, jam pridem ne vestigium quidem veteris fortunæ extaret. Surgit denique in te testis Germania, cui tu, cum florentissimam attigisses, tantas totos jam xx. annos clades intulisti, ut populosissimæ civitates ad solitudinem, nobilissimi sanguinis principes ad servitia redacti videantur. Atque hæc præterquam quod totæ provinciæ loquantur, partim tabulis publicis, quarum fides testibus potior habetur, partim tuamet confessione constare possunt. Versantur inter manus hominum acta orbis diurna; sunt annales, sunt historiarum monumenta complura: nulla propè pagina est, quæ non tuum aliquod scelus loquatur. Quæ cum aut jus-

ſu tuo vulgata, aut permiſſu compoſita ſint; & ab iis quidem, quos vel cauſa, & partium ſtudium, vel ſacrorum communio tibi conjunxerant; non eſt, quod de fide ſcribentium queraris. Tanta enim confidentia tua fuit, tam validè tibi blanditus es, ut quæ nos crimini damus, ex iis immortalitatem ſperare auſus ſis. Itaque & ſævitiæ tuæ miniſtri, cum provincias quibus cum imperio præerant vexarent, adeò non timuerunt Juliam repetundarum legem, ut etiam ſcelera ſua non incertis nominibus in rationes referrent. Ea denique nonnullorum væcordia, is furor fuit, ut pro furca & cruce quam meruerant, ſtatuas ex ære, & arcus triumphales ſibi ſponderent. Horum teſtimonia, Simulator, quæ in re aliena levia forent, in tua cauſa, quoniam contra te ſunt, graviſſima eſſe debent. Quicquid eorum luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis geſſit, id omne te auctore geſtum eſt. Tu caput & conſilium: illi manum duntaxat facinoribus commodarunt. Tu enim Erynnis illa, quæ palatia regum obſidere, quæ ad aures imperantium excubare ſoles: quas ſimul atque peſtilenti ſpiritu tuo afflaveris, actum eſt illicet de fortunis noſtris; vapulat libertas gentium; mœret

pax

pax publica orbis terrarum. Tum autem ærarium, hactenus silens & quietum, te moliente effringitur; fiscique regii per scelera exhausti, per alia scelera supplentur; nec jam templum illud Saturni, sed spoliarium civium, & cruentarum prædarum sævum receptaculum habetur. Prodeat in medium opulentissimus omnium, quotquot orbis Christianus numerat regum: profiteatur quantum auri, dum obscœnum illum rictum tuum explere conatur, incassum profuderit: quid reliqui conturbante rationali fecerit. Quinquies mille, quingentas nonaginta quatuor auri myriadas perdidisse se conquestus est: nec alium vexatarum opum superesse fructum, preter regnum Lusitanum. Tua hic breviculus flagitia loquitur: à te, Simulator, rationes expensi flagitat. Rogo quis ille gurges, quæ tanta vorago, cui explendæ Crassi Crœsique divitiæ pares non fuerint? Nunquid tuum illi pectus gurges, tuæ cupiditatis oceanus fuere? te auctore dum suos premit, alienos opprimit, incerto bellorum æstu in Syrtes & brevia abreptus, tantam fortunarum suarum jacturam fecit, ut ex montibus aureis ne lateres quidem aut lapilli pauci restarent. Non solùm enim innume-

ris legionibus, immenso commeatu opus erat, ut armis opprimeres, quos fraude non poteras: sed & plurimi transfugæ conducendi, multis percussoribus stipendia menstrua & alimenta annua præstanda, ut fraude tolleres, qui arma armis propulsabant. Ita quippe res rationesque tibi subductę sunt, ut nihil prorsus interesse existimes, dolus an virtus in hoste superet, dum cadant illi, quibus judicatum est, vitam potius bello impendere, quam libertatem à majoribus acceptam per ignaviam amittere. Jam quæ illustrior, quæ magis ingenua confessio, quam tituli tui, & sesquipedalia illa nomina? quæ quoties tam diligenter exigis, tam sollicitè nobis præscribis, ut propè causa cadendum sit ei, qui peccarit syllaba; subeat tandem aliquando recordatio facinorum tuorum: quibus artibus, quam fraudulenter in aliena invaseris, quot urbes, quot regna per vim occupaveris. Confecêre procuratores tui tabulas diligentissimè: quæ res hanc utilitatem habet, ut nihil neque adjectum, neque detractum patrimonio possit latere. Quare, si qua est innocētiæ tibi fiducia, ede si potes, quas terras hereditate creveris, quantum pro legato, pro donato, pro dote teneas: faxo plura prædonis more possessa,
quàm

quàm legitimo jure capta deprehendantur. Nec satis tibi fuit homines innocentes laribus avitis evertere, nisi eosdem fortunis omnibus spoliatos, novissimè lanistis tuis in arena jugulandos objecisses. Ac ne materia sæviandi quandoque deesset, confecto hoste, ex civibus perduelles fecisti. Eum in finem genus hominum publico exitio repertum, delatores in civitate aluisti: quos, dum antiquata saluberrima Memmia rogatione, majores spes quam met us ostentas, ut innocentissimo cuique p ericulum facesserent invitasti. Quis postea aut lætus uxorem ducere, aut securus liberos tollere potuit? tali seculo, quo non solùm fœcunditati pretium nullum, sed & graviora patribus, quam orbis supplicia metuebantur. Nemo filiis fragilitatis humanæ vices horruit, sed inter insanabiles morbos Simulatoris fraudes numerabantur: cui nemo tam innocens, quin singulari & unico majestatis crimine circumventus, miseram sævientis voluptatem unco atque ignibus expiaret. Hæc autem omnia, quæ dixi, si injuria provocatus magnitudinis defendendæ causa fecisses, aut sociis suppetias laturus in bellu m non tua volũtate, sed necessitate incidisses, nõ tamen culpa careres: omnem quippe vin-

dictæ modum nimia suppliciorum diritate supergressus. Nunc cùm ultro, & nulla plerunque noxa lacessitus, tantum fortunarum atque cruoris hauseris; dic aliquem saltem, dic, Simulator, scelerum tuorum colorem! Quanquam enim ex injuria insanis, nunquam tamen ita apertus fuisti, quin cum ratione insanire videri velles. Justa, inquis, arma sunt, quæ pro religione capiuntur: nec gratior victima Deo mactari potest, quam homo hæretica pravitate imbutus. Enimverò, nullo modo ferri potest, religionis studium criminibus suis ab eo præferri, cui ne mica quidem veræ religionis est: cui pro Deo venter, pro pietate ambitio, pro religione cupiditas est atque libido: cui nihil honestum, nisi quod utile; nihil sanctum, nisi quod expedit regno. Quæro enim abs te, Simulator, cum religionis prætextu Hispani insidiarentur Galliæ, quam maximè immensæ suæ cupiditati obstare rebantur, atque tu, ut soles, secretiori regum consilio te miscuisses, dederisne fidem iis, quibus imminebas? qua fronte quam dederas, violaris? Usque adeò publicę quietis intererat homines diris devotos quoquo modo perire, ut vel prætextu fidei in exitium præcipitarent? Cautum erat eorum securitati

tati pluribus edictis; quæ aut facta non oportuit; aut cum facta essent, violata. Tuo contra consilio & facta sunt,& spreto gentium jure per summum scelus violata. Nam cum vel ratio naturalis deliberanti in aurem ganniret; grave esse fidem fallere: timendum ne fide rupta nullum supersit vinculum ad continendum genus humanum satis validum: efficacius tamen apud te oraculum ex Iberia allatum fuit; cum caneret Trophonius ille, quo trunculentiorem vix orcus habet; stultitiam magnam esse, aqua salsa aspergi, ut apuas & ranunculos capias: pluris esse salmonem unum, quàm sexcentos gobios. Hujus tu crudeli & sanguinario præcepto obtemperaturus,cum piscinas Gallicas nec quicquam populatus esses, ut rhombos caperes, florem nobilitatis sub specie nuptialis sacri Lutetiam contraxisti: ibi spectaculum illud, quo nullum magis infame atque horrendum secula viderunt, tanquam munerator edidisti. Tune religionem, tune pietatem obtendere audes,qui cum nuptias pollicereris, gladiatores dedisti? Inter pocula atque epulas, ubi libare Deo dapes, ubi benè precari mos est, ad conspectum gynæcei procacis, mactasti humanas victimas, & cruore Salico re-

ſperſiſti menſas hoſpitales. Non exhorruiſſe te, ſi non cœli vim, terræque famam, at certè ipſam illam noctem, faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile regium? O perfidiam hominis incredibilem, atque omni ævo inauditam! Credamus jam vera eſſe, quæ Poëtę fabulantur; fuiſſe olim in Peloponneſo Lycaonem quendam Arcadiæ tyrannum, qui quod contra fidem dextræque pignus hoſpites ſuos noctu jugulare ſoleret, à Jove in lupum converſus ſit. Quid enim abhorrens à vero fabula habet, cum non in Arcadia ſolùm, ſed & in media Galli homo homini ſit lupus? Exemplum omne amentiæ atque crudelitatis exceſſiſſe Thermus quondam viſus eſt, cum decem liberos homines contra jus faſque necaſſet: quem cum M. Cato accuſaret, concitato orationis impetu ita in reum invectus eſt. Succidias humanas facis. tantam trucidationem facis. decem funera facis. decem capita libera interficis. decem hominibus vitam eripis, indicta cauſa, injudicatis, indemnatis: O ſancte Cato! tune decem cædes trucidationem facis? tibi decem capita ſtrages ſunt? quid dicturus, ſi in Simulatorem inſcripſiſſes? Non ille decem homines, non decem hominum millia, ſed univerſas

penè

penè nationes excidit, injudicatas, indemnatas. Unicum illud ferale munus triginta hominum millia Galliæ abſtulit: quantum ergò cruentus ille mucro totis, quibus deſæviit, triginta annis? Sileat jam vetuſtas Ser. Galbæ perfidiam, qui cum Luſitaniæ præeſſet, trium civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturus, ſeptem millia, in quibus flos juventutis conſiſtebat, electa & armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit. Nihil Thermus, nihil Galba ad Simulatorem! latrunculi, non imperatores ſunt, quicunque cæſos & ſpolia numerare poſſunt. At enim, quam denique gratiam hero retulit, cujus armis latè Sequanam Rhodanumque ſanguine civium innocentium tinxerat? nonne laudibus in cœlum extollere? res ejus geſtas Herculis laboribus anteferre? Ille quippe pauca monſtra ægrè domuerat: hic innumeras hydras uno prope ſpiritu eliſerat. Verùm, ut infida eſt omnis ſcelerum ſocietas, ita poſtquam rex cædium ſatur à vi atque ab armis abhorrere cœpit, verſo in furorem animo, deſeruiſſe henoticorum cauſam commentus eſt: eoque odii, invidiæ, contemtus nomen illud, quod Francis hactenus ſacroſanctum & inviolabile fuerat, adduxit, ut infima plebs, quē laudibus ante

in cœlum tulerant, ejus viventis imaginem, è Capitolio avulsam, per totam civitatem unco traxerint: mox sub hasta injuriosè vendiderint, clamante improbissimo quoque pro præcone: Licitatur regem carnifex quinque assibus, ad restim sibi emendam. I nunc, Simulator! religionem obtende sceleribus tuis: qui tam religiosus es, ut ne ei quidem peperceris, qui ex rege penè cucullatus factus erat. Tibi sacra curæ sunt? tibi fides & Dei delubra? Spectate, judices, os hominis, nisi impudentissimus bipedum omnium est. Diis ille, Deabusque suis imputat eum cruorem, quem non pietatis, sed securitatis suæ causa profudit. Eo quippe crudelitas ejus evaserat, ut mores mutare non posset, nec pateret ad meliora regressus. Cædes cædibus, rapinæ rapinis contegendæ erant, ut in possessione potentię omnibus jam suspectæ atque invisæ manere posset. O miserabilem illum, cui malo esse necesse erat: veruntamen miserabilem sibi, non vobis judices: nefas enim misereri tyranni, qui tantum cruoris, tam avidè, tam immisericorditer haurire non extimuit. Atque utinam intra cædes & sanguinem stetisset ejus crudelitas, nec seculi quoque mores pessimus disciplinæ corrupisset magister. Res est
profectò

profectò animadvertenda, & quæ assensum posteritatis vix sit habitura. Qua ille tempestate in Gallia nòn vi magis quam fraudibus grassatus est, tam fluxa, tam sublesta fides fuit, ut anno magno Clementis VIII. decem & amplius hominum millia falsi crimen sacerdotibus suis confessi sint. Tunc sanè experimentis cognitum est, quantum in utramque partem possit regnantium vita, in quam tanquam in speculum intueri subjecti solent. Ut enim boni principes felicius exemplo, quam imperio regunt: ita ubi imperium à bonis ad malos pervenit, pessimos, qui his placere volent, effici necesse est. Eja, detur jam Simulator præfectus moribus! audiat magister veteris disciplinæ! næ ille brevi pestilenti seminio suo ita civitatem obseret, ut pro bonis moribus scelerum ubique & flagitiorum messis maxima futura sit! Verum satis diu hæsimus in Gallia: transeamus nunc, judices, in Germaniam: in qua quemadmodum reus magnum Augusti nomen tutatus sit, operæ pretium est cognoscere. Adductus ad aram, qua nec Samothracum delubra, nec Lugdunensium aræ plus numinis atque terroris habent, præeunte Pontifice, conceptis verbis dejeravit, non so-

lum terras imperii, nationes, oppida, jura, uti optima maxima erant, ita successoribus se restituturum, sed & si quid ab aliis non jure possessum, captum, avulsum; postremò, si qua actio, petitio, persecutio esset, ea ne reip. deperirent, diligenter annisurum. Quid tum postea? perinde ac si lingua jurasset, mentem injuratam gereret, non solum religionem sacramenti impiè contemsit, sed quod omnium gravissimum, quos tuendos ornandosque susceperat, cum iis pro servitute bellum gessit. Atque ut ne æquitas causæ armis deesse videretur, desertos majorum ritus, & conculcata summi Pontificis jura questus est. Hoc quoque cum sine periculo non posset, ut dissolveret, quos eadem sentientes pietas conjunxerat, in rebelles se ducere dictavit. Itaque divisis principum studiis, impares viribus subacti duo; ac ne alter quidem armis devictus, sed veteratoria verbi unius cavillatione deceptus. Ducti postea diu, tanquam fercula in triumpho: nec cessisset spe sua Cæsar, nisi ab eodem, à quo ante adjutus, contraria simulatione dejectus fuisset. In Belgio autem nostro, quanta ejus fuerit intemperies, quam crudelis, simulatio, quid referam? Sedent, judices, in vestris subselliis, qui per ætatem meminisse possunt,

ſunt, quemadmodum majores ſui hujus ſcelere, aut in exilium acti, aut ferro mactati ſint. Nec quiſquam vel in provincia tam hoſpes, vel in hiſtoria tam peregrinus eſt, quin fando acceperit, quanta Troponii illius ſævitia ſimul & ſuperbia fuerit; qui ſucceſſore accepto è provincia decedens, octodecim millia hominum, præter eos quos juſtæ acies abſtulerant, carnificis manu necata gloriatus eſt. Tot animas, cum ſub hæreticorum elogio ad orcum mitteret, centeſimam viceſimamque ſuam urgebat: cum religionis cauſam obtenderet, libertati & privilegiis provinciarum inſidiabatur. Sperans ſcilicet, tam facile ſubigi poſſe viros ad libertatem natos, quàm facile ab Hiſpanis inermes Indi ſubacti, cum milite non cauſa meliores Oceanum tranſiſſent. Ex quo arma armis oppoſuimus, vincique poſſe conſtitit, qui invictos ſe gloriabantur: quid non Simulator molitus eſt, ut diſcingeret, quos intolerandæ ſervitutis metus cinxerat? quibus technis, quantis, quamque fallacibus promiſſis concordiam publicam labefactare conatus eſt? Jam diu laqueo cervicem præbuiſſemus, niſi fraudum gnaris pro credulitate diffidentia ſubiiſſet. Inde tracto præter opinionem diutius bello, ut impenſas ejus alio bello ſarciret, in Germa-

maniam reversus est, ubi dissidentes armis principes, & intestina populorum odia, quanto acriora, tanto majores ei spes fecerant. Quis fando enumerare valet, quas ibi clades fecerit, quot arces; quot oppida solo æquaverit? Regiones armis, equis, viris potentissimæ mutuis lanienis ita attritę & exhaustæ sunt, ut externis ægrè sustententur auxiliis, quæ pręsidio exteris esse solebant. Verùm, omnium seculorum immanitatem exsuperat tyrannis illa, quam novus orbis expertus est. Immenso Oceanus diviserat à nobis ipsa rerũ natura populos; barbaros quidem, nulla tamen re Simulatori obnoxios, nisi quod haberent aurum: Cujus fulgor simul atque oculos plusquam lynceos vel leviter præstrinxisset, atque ad nares vulturis in rupe hiantis uncti cadaveris odor advolasse visus esset, ut cupiditas aliena invadendi lateret, religionis ansam arripuit, Romamque profectus, prope tertiam orbis partẽ tanquam provinciam assignari sibi petiit. Annuit sanctissimus pater supplici: quid enim negat ille, quoties non de suo rogatur? Itaque classibus armatis in eum quem dixi orbem profectus, ut immensam auri argentique sitim pietatis specie tectam expleret, ô cœlum! ô terra! ô maria! quantam ibi trucidationem fecit? quot nationes

nes ad internecionem delevit? Non jam de ſeptem millibus, non de triginta millibus querimur: innumeras hominum myriadas partim ferro, partim latumiis, partim margaritarum piſcatu confecit: quique tractus terrarum populoſiſſimi ante fuerant, ad ſolitudinem hujus ſuccidiis redacti ſunt. E hodum Simulator, reſponde quod rogo, ſi tanto religionis ſtudio ducebaris, cur ferro excidiſti, quos verbo ſalutari imbutos oportuit? Si ea, quam ſimulas, ſacrorum tibi, cura cur in metallum damnaſti, quos metalli contemtum docere debuiſti? Quid autem, ſi ſacer rudens & apoſtolorum horiæ te delectabant, cur ad hamum & conchas dediſti, quos piſcatores hominum factos decuerat? Penè centum ac quinquaginta anni ſunt, ex quo Argonautæ tui in Colchidem illam profecti ſunt? Cur litora duntaxat legerunt? cur montes argenti venis nobiles? Solæne aurei velleris oves cæleſti doctrina dignæ: indigni contra quibus pro argento ferrum, pro purpura pelles, pro jaſpide ſilices natura dedit? An magis columbis rete tendis; non accipitri, neque milvio, qui nocere poſſunt? quoniam in illis fructus eſt, in his opera luditur? Quid igitur planius, quam aurum te non animas ſectari? cujus ita avidus es, ut rarò
juſtior

justior belli causa; hostesque judicentur, non qui Cyclopum insulas & infames Cilicum scopulos, sed qui Picorum montes habitant. At enim, quæ est defensionis tuæ impudentia, etiam regno necessarios dolos dicis: nec posse imperare eum, qui nescit simulare. Fidem quidem & promissorum constantiam laudandam: ipsius tamen fidei legem ac normam salutem esse regnantis. Quid ais, homo omnium quantum est impurissime? an quia religionem cum ambitione confudisti, tanto facilius prudentiam cum perfidia commiscere te posse sperasti? Usque adeò ficulneus tibi Jupiter est, ut perjuria tua utilitate regni rependi putares? Frustra ergò natura, frustra gentium consensus dictavit, grave esse fidem fallere: nam si id cum incommodo tuo conjunctum sit, servasse fidem longè tibi gravius crimen, quàm fregisse. Equidem Stoicum te hactenus putavi, cum ista caperata fronte tua: nunc intus & in cute Epicureum video, qui summum bonum non virtute, sed commodis tuis metiris: itaque existimas, aut Deos humana non curare, aut si quando oculos in terras demiserint, & facta mortalium inter curas suas numeraverint, catholicum mentientem longè eisdem gratiorem esse, quàm hære-

hæreticum vera dicentem. At vide, quos tu viros, quæ hiſtoriæ lumina hac nova ſapientia condemnes. Tuo judicio ſtultus fuit Attilius ille Regulus, qui ad certam mortem, & exquiſitiſſimos cruciatus proficiſci, quam fidem Pœnis datam, violare maluit. Te cenſore ſuperſtitioſus Alexander ille, cui totius orbis conſenſu Magni cognomen delatum eſt: qui turpe ſibi duxit Perſas noctu vincere; ne victoriam tenebris potius, quam virtuti deberet: tantum abſuit, ut perfidiæ licet fructuoſæ quicquam deferendum judicaret. Te jûdice pueri veteres illi Achæi, qui dolum, quo tu erga ſocios uti ſoles, ita averſabantur, ut ne hoſtes quidem per fraudem vellent vincere; atque etiam inter ipſos conveniret, ne telis occultis, aut miſſilibus è longinquo jactis alter in alterum uterentur. Ne priſci quidem Romani ultra prætextatos ſapuiſſe tibi videntur; qui graviſſimum hoſtem Pyrrhum, ac penè victorem, venenô tollere non ſuſtinuerunt: non quod non Romæ expediret, fortiſſimum Æacidarum quoquo modo tolli: ſed quod glorioſe mori, quam turpiter vincere mallent. Hi omnes tuo judicio fungi, blennones, bardi: bulla non ſceptro digni: qui dum fidei fideliter ancillantur, publicæ
ſalutis

ſalutis prodigi, ac penè proditores extiterint. Scilicet, hoc reſtabat ad ſalutem imperii, ut curator imperitis adoleſcentulis daretur Simulator! nihil de ſumma reipublicæ princeps, nihil Senatus decernat, extra quam ſi fundus atque auctor factus fuerit porcus Epicuri. Ille conſilium, ille oraculum civitatis eſto: niſi quod ratum Pœno puniorhabuerit, id omnes, ut inceſtum & inauſpicatum damnanto. O ſcelus! o labes! Tune curatorem, tu judicem atque arbitrum reipublicæ te dari poſtules? At quonam modo rem civitatis ſalvam fore ſperemus, cum nihil civium, omnia tua cauſa facias? Quis locus apud te in ſanciendis fœderibus formulæ illi fiduciæ; Inter bonos benè agier? quis enim bonus? qui omnia libidine atque cupiditatibus ſuis metitur; Qua tibi ratione placebit Jovem lapidem jurare, cum exiſtimes Jovem iratum eſſe nemini poſſe? Tene aram odes Simulator, magnumq; Deorum jusjurandum dejura; Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter! Quid poſtea? Cedo ſponſionem & arbitrum, niſi vi metuque hoc extortum ſit: niſi dolo malo inſtipulatus ſis: niſi etiam dum minor ſim annis viginti quinque. Ubi omnia defecerint, nemo, inquis, Pontifex meo perjurio eſto: non perdendæ, ſed ſervandæ rei

cauſa

causa jusjurandum conditum est. Ita nulla tam sancta religionis formula, quam non tu præscriptione aliqua possis infirmare. Verùm enimverò, satis jam verborum fluxisse videtur; atque etiam distædet cum istoc diutius loqui: tot tantaque ejus flagitia sunt, ut si omnia & singula oratione persequi velim, nox ante oppressura sit, quam ad finem accusationis pervenire possim. Quare vela contrahens ad vos, judices, me converto: vestram fidem, religionem, æquitatem appello: jurati sedetis, ut de homine nocentissimo pronuntietis; quemque optimus quisque sordidatum videre diu ac necquicquam concupivit, is tandem aliquando divino munere in judicium adductus est. Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur; utrum vobis unius nebulonis gratia, an universæ Reip. salus potior sit. Magnum onus, fateor, & periculosum suscepistis: veruntamen dignum, in quo omnes corporis ingeniique nervos contendatis: ne si reum elabi siveritis, universi judicantium ordines unius improbitate & audacia victi dicantur. Est autem eo diligentius vobis enitendum ne elabatur, quo ille in corrumpendis judiciis exercitatior est. Scit nihil

esse

esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Itaque non obscurè præ se fert, iis esse metuenda judicia, qui quod ipsis solis satis esset, surripuissent: se tantum rapuisse, ut id multis judicibus satis esse possit. Præter has argenteas lachrymas, veras etiam flere doctus est. Novit enim, quantum L. Pisoni ambitiosus imber: quantum A. Gabinio filius Sisenna humi prostratus: quantum Ser. Galbæ parvuli liberi populo ostentati profuerint. Adversus has stellionis artes, judices, integritate, fide vigilantia opus est, cavendumque diligenter, ne quem divinitus suffragiis vestris subjectum gaudemus, eum intempestiva subselliorum misericordia pœnæ subducat. Quanquam enim in judice clementia magis, quam rigor laudetur: ita tamen existimare debetis; non clementis, sed crudelis esse judicis, unius perditi vitam multorum saluti præferre. Videtis, quanta sit hominis pervicacia: quam insatiabilis furentis crudelitas. Invasit hinc Italiam; inde Germaniam: vehementior incubuit Galliæ: mox Belgio: quid multis? ne quid uspiam conquiesceret, novissimè transiit in Britanniam. Atque utinam furoris ibi finem faciat, & opprimatur ante, quam opprimat. Cæterum tanta homi-

nis

nis velocitas est, tam improvisi impetus, ut qui nunc toto orbe semotus videtur, nisi etiam atque etiam caverimus, momento temporis supra cervices nostras constiturus sit. Videtis, quam perniciosus idem sit exemplo: quem non angulum orbis secta viri velut contagio pervaserit. Nulla ferè societas est, nullum collegium, in quo non sint qui sibi licere putent, quod Simulatori fuit incremento. Itaque passim in aulis jam Tigellini, in templis Ecebolii, in Academiis Zoili: militiæ Thrasones, domi Saturiones atque Peniculi dominantur. Vestra parasiti obsident limina. Stat religiosus adulter ante thalamum: sollicitant mœchi custodis fidem. Radunt æra, tingunt numos, signant testamenta falsarii. Non frater cum fratre, non conjux cum conjuge vivit sinè mendacio. Postremò præmia virorum fortium invadunt nunc præficæ: quosque virgis cædi decuerat, iis fasces præferuntur. Talem tantamque pestem ut terris avertatis, tempore suo necessario rogat resp. quæ quanquam ita de vobis meruit, ut velle debeatis, quæ jusserit, nunc tamen supplex orat, obsecrat, ut si se salvam velitis, tabulas vestras, non infami, sed legitima cera impletas in urnam mittatis, eademque litera reo exitium, sibi salutem adferat.

Quod

Quod si existimaveritis, stultum esse regnorum multorum potentem damnare velle, qui ubivis habiturus receptum; saltem è civitate, ex ædibus, postremò ex animis vestris scelus exterminate. Ita enim fiet, ut cùm pudicitiam penatibus, candorem collegiis, integritatem curiæ, pietatem templis restitueritis: aurea illa fides, quam Simulator per summum scelus exegit, ad nos postliminio revertatur: quantum que mæroris ex abitu concepimus, tantum contra voluptatis ex reditu ejus nos percepisse sentiamus.



ANTO-

ANTONII MATTHÆI

ORATIO IX.

PRO

LEGE CONSTANTINI M. DE ADULTERIS.

Recitata Idibus. Febr. M. DC. XLIV.

Cum JACOBO LIEFTINCK

Summos Iuris utriusque honores conferret.

SI quæ rectè atque utiliter in publicum constituta sunt, ea pro æternis servarentur, haut dubiè & minor juris contemtus, & major peccandi formido in civitate esset. Timetur enim lex, quæ surda est, & inexorabilis, nec se rescindi minuive patitur: at quæ in suffragia populum mittit, aut principis placito refigi non indignatur, à maleficiis impios haut quaquam deterruerit. Multa hoc exempla palam faciunt; sed inprimis Constantini M. rescriptum docere potest. Sanctissima lex, stolæ matronalis unica custos, & violatæ pudicitiæ acerrima vindex, sacrilegos aliena-

lienarum nuptiarum gladio feriri jusserat Non dignitas, non sexus à supplicio immunis: omnes enim mortales magni principis edictum alligarat. Cujus reverentia quamdiu valuit, severa stetere matrimonia, & formidatus protervis publicæ quęstionis judex. Postquam nequior Justiniani constitutio irrepsit, qua amicum sibi sexum horrore mortis solvit; tunc primulùm Christiana natio de magnitudine flagitii ambigere cœpit: dein exolescente pœnarum metu, in omnem libidinis licentiam effusa est: Nec Græciæ duntaxat ea calamitas fuit, aut intra Thraciæ fines stetit; sed Hellesponto egressa, extrema Germaniæ Galliæque litora pervâsit. Quæ me res movit, ut cum omninò in hoc amplissimo consessu verba facienda sint, non Cincias rogationes, aut Calpurnia scita, nec creberrimam illam discordiarum facem agrarias leges; sed saluberrimam Constantini M. de adulteris sanctionem suasurus surrexerim. Etenim adversus alias quidem injurias satìs provisum legibus: Sola prope lecti injuria est, quam pœnæ levitate dissimulari, omnes bonæ atque pudicę mentes queruntur. At cujusmodi injuria? Scelesta profectò, & nefaria; quæque uno nomine multa simul flagitia complexa videatur.

tur.

tur. Quod enim ſanctius in rebus humanis vinculum matrimonio? Quæ fides tam cupida firmatur dextra, tot ſigna, tantos auctores habet, quam conjugalis? Auctore Deo immortali, auſpice eccleſia, ſignatoribus parentibus atque amicis, fauſtis ominibus populi, vir fœminaque conveniũnt in eundem thorum. Una mens omnibus, unum idemque contrahentibus votum; ut quemadmodum natura monet, ratio dictat, jus flagitat, caſtè atque concorditer ætatem unâ agant. Nihil extra maritum uxor; nihil extra uxorem quæſierit maritus. Quicquid in vita honeſtæ atque conceſſæ voluptatis eſt, id unius conjugis gremio clauſum atque obſignatum putetur. Hæc auſpicia, hanc votorum ſummam, neque anguis per impluvium illabens, neque ater canis in ædes irrumpens, ſed quovis cane impudentior mœchus turbat; cui nullus in civitate tam caſtus thorus eſt, quem non illecebris ſuis expugnare ſe poſſe ſperet. Vadit effrenis audacia ad cubicula maritorum, & limina pudicitiæ conſecrata ſacrilego furore molitur. Non pudor, non legis metus, non numinis horror retinere ruentem poſſunt. Perfringit atque proſternit omnia libidinis protelo. Vincit pudorem cupiditas, ratio-

tionem vecordia, timorem audacia Dignum profectò scelus, quod non solùm acris Poëtarum manus stylo confodiat, sed & legislator ingenti cruciatus terrore circundet. Nam si improbus atque injurius judicatur, qui cum jus eundi non haberet, per fundum alterius septum iter fecit: quanto improbior judicandus ille, qui ruptis pudoris repagulis in alienum cubile irrupit? Si petulans atque protervus est, qui stillicidium suum invito domino in alienas ædes, aut aream immisit; quanto petulantior qui recentes lasciviæ notas alieno thoro impressit? Postremò, si cruce dignus, qui aut furtum fecit, aut merces suppofuit, aut numos vultu principis signatos rasit: quo tandem supplicio eum dignum judicabimus, qui patrisfam. partum adulterinum subjecit, lectumque genialem ipsius numinis charactere signatum inceste Veneris sordibus polluit? Gladius, gladius, inquam, hominem nefarium atq; sceleratum manere debet: non virgę, non carcer, non infamia supplicii satis. Anima eripienda mœcho est, qui quæ anima chariora sunt, ea nefando scelere inquinat atque incestat. Quid, quod non ad singulos duntaxat ex stupro calamitas, sed ad rempublicam quoque magna turpitudinis portio pervenit? Infelix civitas in

qua

qua mœchi grassantur: sive pariat adultera, sive non pariat, vulnus accipit. Nam si conceptum abigere timor coëgerit, Rempublicam cive orbari necesse est: sin enixum tollere audacia præsumserit, censeri inter tribules sine pudore non poterit. Jam necessitudines, & familiarum dignitas, & patrimoniorum successio, qui consistere in civitate pollutis nuptiis possunt? Quo modo aut ordo edictorum in dandis bonorum possessionibus procedere, aut populi scita in deferendis imperiis obtinere possunt, nisi sui cuique liberi, & illæsa conjugia, intactæque ab omni labe familiæ permaneant? Num parva res videtur, Equitios Gracchis, Didymos Scauris, Herophilos Mariis supponi? Calças cum Claudiis, Pannicos cum Liciniis apud Centumviros de fortunis contendere? irrepere in Lamiarum ceras Lygdos, Damas, Gyrthas, Nomentanos? Omnia hæc ejusmodi sunt, ut vel invitis fatendum sit, nullum majus civitatis dedecus esse, quàm vagos concubitus, contaminata cubilia, & incertos civium natales. Non agri sterilitas, non cœli inclementia, non ædificiorum ruinæ tam aspectu deformem faciunt. Quicquid vitii est quod urbes infames & inglorias reddit, id omne superat incerta matrum parti-

tudo. Apud Athenienſes in probro olim habitum, ſi quis altero parente cive, altero peregrino natus eſſet; itaque contumeliæ cauſa hybrida appellabatur. Quod ſi peregrinitas in probro, quam ſolum jus civile ſpernit, quanto majus opprobrium mœchia, quam non ſolum civitatis inſtituta, ſed & naturæ leges averſantur. Etenim, ex peregrino civem facile adoptio facit: nec pœnituit Romam Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Thuſculo adſcitos: Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes viros ex Gallia Narbonenſi tranſlatos. At ſummiſſos ex villa Mauros, ex culina Carpos, ex fornice Crotos & Sarmentos, quis tam potens legiſlator eſt, qui inter cives cenſere abſque infamia publica poſſit? Et hoc tamen totum, quantumcunque eſt, ſeu damnum, ſeu dedecus reipublicæ circa recens natos eſt: viros verò quot & quantos adulterorum inſidiis periiſſe putabimus. Noviſſima mœchis matrimonii voluptas eſſe ſolet: quo ut potiantur, non dubitant maritum aut toxico tollere, aut diris defigere. Si neque carmina quicquam, neque boleti profecerint, Clytemneſtræ animos & audaciam ſument, incautoſque conjuges ſecuri ferient. Sunt quas ne mariti quidem cruor ſatiat, ſed ut pluribus victimis

mis Venerem placent, liberorum quoque vitam adulteris donant, quasque farre puro & precibus oportuerat, sanguine & veneno nuptias auspicantur. Itaque si usquam verum quòd vulgo dicitur; nullam calamitatem solam esse; in matrimoniis id verissimum est: nam & lecti injuria per se sola, supra quam dici potest, acerbitate exuberat, & agmen multorum malorum secum trahit. Quod intuentes, credo, prisci illi Lacedæmonii, cum adversus eos quos vehementer oderant, gravissima execratione uti vellent, inter reliqua domus exitia imprecabantur, ut uxores ipsorum adulteris delectarentur. Nec minor in mœchos cæterorum Græcorum indignatio fuit. Primùm enim pleræque civitates deprehensos in turpitudine impunè necari permiserunt: indignum quippe judicabant, cædis causam ab eo dici, qui interpellatos amores, pudorem cubiculi, spem liberorum expugnatam, occulto illo & inenarrabili æstu ultus esset. Tum autem Thuriorum lex alios quàm adulteros, in comædiis nominatim proscindi vetuit; quasi hæc una labes publica nota & infamibus punctis esset vindicanda. Apud Athenienses adulteræ ornamentis omnibus spoliatæ ingressu templorum arcebantur: si contra

fecissent, penè tanquam sacræ omnium injuriis ita exponebantur, ut excepta morte, nihil non in eas liceret. Severius Locrenses & Crotoniatæ: quorum illi mœchis utrumque oculum erui: hi vivos ultricibus flammis cremari jusserunt. Cum enim uxoris pudicitia viro bono & oculis & vita carior sit, utrisq; rebus privari debet ille, per quem quod longè charissimum est, amisimus. Quod si relicta Græcia in dissitas orbis partes proficiscamur, non minori severitate in adulteros animadversum reperiemus. Apud Parthos ut Justinus scribit, nulla delicta adulterio gravius vindicabantur. Apud Lydos & Arabes similiter non sicarii magis quam mœchi capitis damnati. Nec multo leniores Ægyptii, qui mille plagis adulterum, narium truncatione adulteteram mulctabant, ut qua parte corporis maxime placuisset, ea fœdior atque deformior appareret. Apud Germanos veteres pœna præsens & maritis permissa. Accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellebat domo maritus, ac per omnem vicum verbere agebat. Subinde, cum ne sic quidem pœna flagitio par esse videretur, Gothi, Longobardi, Vandali, morte mœchos plecti: Burgundiones raro severitatis exemplo, etiam eam

quæ

quæ sinè causa virum deseruisset, cœno mersam necari voluerunt. Atque hic cum barbarorum in vindicandis adulteriis sensus fuerit, quid Christianos legumlatores sciscere ęquum fuit? Cum ea injurię magnitudo, tanta deformitas sit, ut singulis dividiæ, universis damno atque dedecori habeatur: nonne rectè Constantinus ultimum supplicium hominibus sacrilegis irrogari jussit? Quisquis enim matrimonia in civitate tueri vult, huic non solùm ab injuria, sed etiam à suspicione injuriæ sunt defendenda. Nam cæteris in rebus cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in matrimonio non solùm adventus mali, sed etiam suspicio ipsa facit calamitatem. Quam, qua tandem diligentia, quibus custodiis septi vitare poterimus, nisi lex judicem armet, & secures peccantium cervicibus immineant. Miserum maritum, quem subsessor matrimonii dormire non sinit! cui in sinu jacens uxor, tanquam hostis intra muros pertimescenda! Tectus adversus aliorum insidias esse potest: uxorem verò qui cavere potest; quam etiam si cavere velit, officium conjugis læsisse videbitur. At postquam securitas nuptiis Constantini M. beneficio parta est, tum credo exclamare libuit maritis:

Jo magne princeps, victor & triumphator semper auguste! Nunc demum uxorem ducere, nunc dulces heredes tollere juvat! Te custode secura domus gaudet, timet concussorem lectus conjugalis! Tua sanctio maculosum nefas domuit: censentur tandem prole simili puerperæ. Prębent gladio cervicem adulteri, majoremque doloris quam voluptatis vim ostentat cupidis lictor armatus. Quid contra Flavius noster Justinianus? Quicquamne sollicitudini tanti principis adjicere potuit? Magna ratio, si pro gladio crucem, pro securi ferarum laniatus substituit: si aut ereptum accusandi jus populo reddidit, aut sublato quinquennio perpetuam inscribendi facultatem indulsit. Nihil ille horum: nihil aut ausus, aut potuit. Quid ergô? Durior ei lex in fœminas visa est: itaque virorum quidem cervices carnificis mucroni subjectas reliquit: at fœminas virgis cæsas in monasterium detrudi præcepit. Quid hic primùm, quid postremùm conquerar? Minuta virorum jura, & subjectum stolis togarum decus? An magis audaciam legislatoris, qui spretis sacræ paginę minis, quas vox divina morte plecti voluit, eis vitam intempestiva clemētię laude concessit? Equidem, cum dotium privilegia,

& ta-

& tacitas mulierum hypothecas, atq; alia hujusmodi rei uxoriæ præsidia audimus, nemo nostrùm est, qui animo valdè commovetur: hactenus enim succurrere fragilitati licet quatenus id sinè publica injuria atque dedecore fieri potest: at cum in capitali scelere deprehensis ultimum supplicium remittitur, quis tam remisso, aut communi animo est, ut id ferendum putet? Esto: transtulerit in Flavium lege regia omne jus suum populus; legibusque solutus suo arbitratu album ille figat, atque refigat. Quis divina lege principem solvit? Quis regnum extra naturæ fines collocavit? aut sceptrum præscripto rectæ rationis subduxit? Lex divina adulteros morte plecti jubet, tam fœminas, quàm mares. Dividit sententiam Flavius: viros mori, fœminas virgis cæsas monasterio includi imperat. Quid hoc aliud, quàm in cœlum spuere? Neque enim solos Hebræos obligant interdicta, quæ pudicitiam tuentur; sed omni ævo, omnibusque gentibus, quę aut sunt, aut fuere, aut futuræ sunt, interminantur. Itaque antequam leges in tabulas incisæ essent, urbes florentissimæ Sodoma atque Gomorrha igne cœlitus immisso conflagrarunt. Antequam horrendum ex æthere classicum cecinisset, Pharaoni

 Ægyp-

Ægyptio, & Abimelecho Palæstino, ob interceptam Abrahami conjugem, capitis periculum denuntiatum legimus. Nec mitior in nurum Iudas extitit, dum stupro gravidam flammis destinat, quamvis filio Selæ sperata magis, quam legitimis nuptiis pacta esset. Sichemitæ quoque ob raptum Dinæ ad internecionem cæsi: eversa Troja, potensque illud Asiæ regnum adulterio Helenæ concidit: tametsi enim tabulæ sacræ neque ad Priamum neque ad Chamorem pervenissent, ipsa tamen naturæ lege tenebantur. Quis Tarquiniorum regnum evertit? Quis Decemviros omni imperio atque potestate spoliavit? nonne intemperans Sexti libido, & indomiti Claudii oculi? quum alter Lucretiæ pudicitiam extorsisset: alter, ut Virginia potiretur, vindicias contra libertatem dedisset. Jam in populo Israëlitico, quantis cladibus vindicata nuptiarum sacra, cum unius Levitæ uxorculæ, stupris nocturnis exanimatæ, hominum viginti quinque millium strage parentatum legimus, excisa penè radicitus tota Benjamitarum tribu. Cum Davidem regno pulsum: Absolomum cum exercitu inter lustra ferarum deletum: nonne præsens numen, certamque è cœlo vindictam intuemur?

Sequio-

Sequioribus seculis, quanti Hispaniæ Africæque constitit Roderici regis scelus, cum Mauris ultoribus in Hispanias effusis, intra unius biennii spatium, septingenta hominum millia variis prçliis concisa sunt. Tunc corruit illustre Gothorum in Hispania sceptrum, bellicosæque gentis afflictas reliquias inaccessi Asturię montes ægre contra vim hostilem tutati sunt. Sexcenta hujusmodi proferri possunt testimonia; ex quibus planum fit, non esse leve scelus pudicitiæ claustra vellere, alienæ matrisfam. stuprum offerre. Scelus est ingens, & tantum, quantum animo vix ipsi concipere possumus. Quapropter, cum & crimen sua natura gravissimum sit, & magnis motibus in republica causam præbeat; quid tandem est, quod Justinianum impulit, ut mœcharum cervices ultimæ necessitati subduceret. Enimverò, sive hæc Theodoræ conjugis culpa est, quæ sexum egressa solium mariti cathedris suis penè subjecerat: sive ut viri nonnulli pii atque graves autumant, Episcoporum hæc ambitio fuit, qui pravo imitandi servatoris studio, adulteras necari non sustinebant: factum est ab eis valdè nequiter. Quanquam enim ita fragilis & infirmus sexus est, ut nec præsentia intelligere, nec in-

ſtantia cavere rectè poſſit: ea tamen infirmitati adjuncta malitia eſt, ut niſi atrocibus edictis cohibeatur, nihil ſani aut moderati à muliere ſperandum ſit. Abſit dictis invidia! non ego Sabinarum laudi, aut Sulpitiarum gloriæ quicquam detractum velim: fidem orationi non ſolùm cotidiana experientia facit, verum etiam multi magni & graves autores adſtipulantur. Omnium eorum qui de republica & legibus ſcripſere, haut dubiè princeps Plato eſt: is adeò non indulgendum fœminis cenſuit, ut quò impotentiores animi ſunt, eò diligentius legum laqueis conſtringendas judicarit: non enim rem muliebrem ſi neglecta fuerit, rerum humanarum dimidium, ſed pluſquam duplum videri. Proximus huic civilis ſapientiæ laude Ariſtoteles, non ſolùm in humano genere, verum etiam in omnibus animantibus, quæ ſexus fœminei ſunt, ea proterva magis & malefica eſſe teſtatur: ideòque nimiam in mulieres indulgentiam multarum calamitatum reipublicæ cauſam eſſe. Apud Romanos M. ille Cato, impotentem naturam, & indomitum animal fœminam vocat; quę, niſi frænos à legiſlatore acceperit, modum licentiæ ſuapte ſponte non ſit factura. Severus Cæcina non ſolùm imbe-
cillum

cillum & laboribus imparem sexum; sed si licentia adsit, sævum, ambitiosum, potestatis avidum: quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari, his statim deterrimum quemque provincialium adhærescere; pervicacibus magis & impotentibus mulierum quam maritorum jussis. Quid Satyricos memorem? quid comicos & tragicos? Omnes uno ore, timidam in rebus honestis, audacem in turpibus mulierem prædicant: quippe, quæ etiam deprehensa iram & animos ab ipso flagitio sumat. Atque hæc quidem in universum de sexu virorum sapientium existimatio fuit: ut ad mœchas transeamus, ita veteres judicabant: nullam esse adulteram, quæ non eadem sit venefica: & contra nullam veneficam impudicitiæ labe carere. Cujus rei causam hanc reddebant, quod necesse sit eam, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, formidare multos: virum nimirum, parentes, cæteros, ad quos videt dedecoris infamiam pertinere. Quos autem tantopere formidet, eos necesse est, ut quoquo modo veneficio petat: quoniam nulla honesta ratio potest retinere eam quam cupiditas facit præcipitem, libido audacem, scelus anxiam atque

solli-

ſollicitam. Et contra, veneficii damnatam impudicam quoque neceſſariò exiſtimabant; quoniam nulla ad veneficium facilius cauſa impellit, quàm turpis amor, & intemperans Veneris deſiderium. Tanta enim corporis atque inquilini animi neceſſitudo eſt, ut cujus animus mulieris eſt corruptus, ejus corpus caſtum non putarint. Hæc ut dixi, veterum de mœchis exiſtimatio fuit: quam, non eſt quod quis ſuſpicetur à rhetoribus profectam, dum veri ſpeciem oratio quærit, aut inani argumentorum tumore fallere religionem judicantis conatur. Non rhetores iſti, ſed viri fuere in rebus gerendis totam ætatem exerciti: quibus ipſe fori uſus, & cotidiana judicandi ſors exiſtimationis iſtius magiſter fuit. Itaque quæcunque ab eis hujuſce generis profecta ſunt, foliis Sibyllæ certiora judicabimus. Quod ſi annales etiam inſpicere, aut acta orbis diurna excutere libuerit, omnia ad vivum hiſtoricorum efficax diligentia nobis referet. Non jam Niobes ſuperbiam in ſcenam producemus: non Medeæ aut Circes veneficia: nec Danai quinquaginta filias totidem maritorum cæde cruentas ex Græcia evocabimus: ſola nobis Roma teſtium & monumentorum ſatis ſuppetere poteſt.

Quam

Quam cum curioso oculo perlustramus, quis non audaciam mulierum in perpetrandis flagitiis singularem agnoscat, ubi uno anno M. Claudio Marcello & T. Valerio Coss. matronas ad centum septuaginta veneficii damnatas legerit? Ubi nefanda Bacchanaliorum sacra, in quibus nihil facinoris, nihil flagitii prætermissum, mixta fœminarum virorumque stupra, dedecoris impatientes pro victimis immolati, ex muliebri audacia tanquam fonte promanasse repererit. Ubi ex proscriptis Vettium Salassum ab uxore proditum; Posthumium Albinum Consulem à Publicia; Claudium Asellum à Licinia sua veneno necatos cognoverit. Ubi Pontiam Vectii Bolani conjugem, ut securius adultero nuberet, duorum filiorum cæde contaminatam: Sassiam incestis generi nuptiis pollutam: Pompejam in ipso Bonæ Deæ sacrario Clodio substratam aspexerit. Parva nimis loquimur: etiam Divis parati mœchi sunt: etiam Jovis nectar rubetam timet; & quanquam tonet, intrat tamen Augusta cellam lupanaris. Quis Caligulæ mentem eripuit? Quis Claudium & Britannicum veneno sustulit? Qua fraude deliciæ Populi Romani Germanicus atque Drusus periere?

Nonne

Nonne perfidia muliebris eos ad orcum demisit? Tanta enim sexus impotentis audacia est, ut nulla natio sit, quæ non aut regem, aut virum aliquem illustrem muliebri fraude interceptum lugeat. Lugent Lydi Candaulem suum, Lacedæmonii Agamemnonem: Drancæ Spitamenem: Byzantii Romanum. Atque ut ad nostrum quoque cœlum transeamus, Chilpericos Franci, Alboinos Longobardi, Henricos Germani, Ingemaros, Sueones, Eduardos Angli, Stuartos Scoti cum lachrymis & planctu requirunt: quos omnes uxorum perfidia regno pariter & luce spoliatos accepimus. Quid multis? unicam Liviam Drusi cognoris, omnes in eodem ludo doctas dejerabis. In hujus enim ingenio, pestis illa Cæsarum & Juliæ domus Sejanus, conceptam de orbis imperio spem atque fiduciam collocandam censuit. Cuncta tentanti, inquit civilis sapientiæ magister, promtissimum visum ad Liviam convertere. Hanc ut amore incensus adulterio pellicit, primique flagitii potitus, ad conjugii spem, consortium regni, & necem mariti invitat. Illa non admiratur audaciam, non impudentiam execratur, non denique dubios consiliorum exitus, & Deum sceleris ultorem formidat. Quoque magis

stupeas,

ſtupeas, cui avunculus Auguſtus, ſocer Tiberius, ex Druſo liberi & gloria, ſpem incertam parricidio redimit, maritumque optimè de ſe meritum adulteri crudelitati jugulandum tradit: plané ut appareat, nullum tantum nefas eſſe, quod amiſſa pudicitia furens fœmina abnuat. O nefandam Veneris cupidinem. O improbos atque inceſtos amores! Quis credat, fuiſſe aliquam humana ſpecie vultuque, quæ in tantum immanitate beſtias ſuperaret, ut pro quibus mori ipſam decuerat, eis mortem accelerarit? Non faſtidit tigris comparem; nec vitam ponere pro fœtu recuſat. Sola reperta eſt mulier tigride pejor, quæ quoties adultero libuit, aut conceptum viſceribus fœtum ejicit, aut natos & maritum veneno ſtrangulat. Eat nunc miniſter Flavii Tribonianus! occinat nobis illud ſuum: Quis mulierum non miſereatur? Confugiat ad ſexus infirmitatem, & conſilii lubricum: nemo vetat, nec prohibet: dummodo viciſſim fateatur, tantam fragilitati adjunctam audaciam eſſe, ut niſi pœnæ magnitudine à flagitiis deterreatur, nihil ſit aliud, quod impetum furentis retinere poſſit. Malè, malè profectò Exquæſtor principis ſuæ famæ conſuluiſſe videtur. Gothicus ille, & Germanicus, & Vandalicus

licus audit. Quid prosunt speciosa nomina, si quos acie vicimus, ab iis ratione superamur? Victi mœchas mori jusserunt. Vetuit mœchas victor mori. Si verum amamus, tanti non erat aut Gothos vinci, aut Vandalis cæsis Africam recuperari, si cum Thracum imperio iniqua maritis lex erat accipienda. Hæc jam Cæsaris culpa erit, si conjugi nupta furtum faciat: nam sexum natura invalidum gladii metu solvere, nihil est aliud, quam eundem suo luxui, alienis cupidinibus exponere. Vix præsenti supplicio illæsa conjugia manent: quid futurum, si inter capitales fraudes adulterium legislator numerare recuset? Porrò, quam illud à recta ratione abhorrens, mœcham virgis cæsam in monasterium detrudi: quid enim? sentinæ monasteria sunt, in quas confluat, quicquid ubique impudicarum est? Claustra continentiæ impenetrabilia esse voluerunt, quicunque solitariæ sectæ perhibentur auctores: qua ergò fronte lupas & prostibula penetrare patiemur? Quis adeò demens pastor est, qui scabiem pecudis contactu gregis sanari putet? qui ægra sanis, affecta capita integris misceat? Et repertus est aliquis pastor populorum, qui mœchas inter virgines degere jusserit?


rit? Nihil dictu, nihil visu fœdum subire debet tectum, sub quo puer est: quid, sub quo tecto virgo cubat, adulteras cubare rectum est? quamque ætas sollicitudinem postulat, non sexus quoque à nobis flagitat? Quanto rectius vir sapientissimus Solon, qui, teste Demosthene, deprehensas in adulterio mundo omni ornamentisque spoliatas, non solùm sacrorum aditu, sed etiam matronarum cœtu prohibuit, ne earum consuetudine honestæ matresfam. corrumperentur. Romanorum verò tam anxia circa Vestales sollicitudo fuit, ut non solùm incesti damnatas sub terram defoderent; verum etiam corpore ægras atrio Vestæ excedere juberent: tantum aberat, ut aut impudicam initiari, aut corruptam pedes inferre permitterent. Postremò, cui probri convictæ vitam concedimus, cur non præsidia quoque vivendi largimur? non enim incontinentibus expetenda vita est, si præcisa nuptiarum spe, cum cupiditatibus & libidine cotidie sit conflictandum. Quod si indignum visum est, nubendi potestatem ei fieri, quæ priores nuptias stupro polluit: cogitandum erat, longè absurdius fore, impudicam, incontinentem, impotentem animi fœminam asceterio includi:

di: nihil enim ſpurcius, nihil fœdius eſt, quam in mediis amorum incendiis profiteri cœlibatum. Dicet aliquis: Atquin etiam virgis mœcha cæditur. Cædatur ſanè: dum ad necem uſque. Cæterùm, quis virgas inter capitalia ſupplicia numerat? Quis ſcutica cæditur, cum gladium meruit? Quem autem cædendi modum intemperans lictor faciet? Sæpè ſpeculator forma damnatæ captus eſt. Sæpè mulier, dum ad ſupplicium ducitur, procum invenit. Quam diligenter ille verberavit! Quam timebit percuſſor, ne quid doleat! Credas amatoris manum eſſe, ita inter plagas & gemitus expalluit. Spectat interim judicem, & tanquam fortiter verberet, anxius eſt, ne mœcha deficiat inter virgas. Scilicet, his pœnarum terriculamentis reipublicæ ſatisfiet! Deterrebit hæc ſeveritas quandoque ſimilia auſuras! Vultis uno verbo dicam? Non metuet virgas, quæ famam contemſit: nec ſolitudo verecundam reddet, quæ in turba peccare non erubuit. Niſi infamiæ culleum, faſcibus ſecures junxerimus, non deſinet pervicacia majores ſpes quam metus in corde gerere, Hoc ſi conſideraſſet Flavius, non Conſtantini gloriæ, non maritorum ſecuritati quicquam detrahere ſuſtinuiſſet.

ſet. Nunc poſtquam naturæ conceſſit, fatoque ſatisfecit, qui pudicitiæ noluit; ad vos, Quirites, oratio redit: veſtram opem atque auxilium reſpublica implorat. Videtis quod ſeculum, quam corrupti mores ſint. Experimini non ſolùm longius provectam, ſed penè in præcipiti ſtantem mulierum impotentiam. Primum victa eſt domi libertas, dotatarum ſuperbia; quæ tanta eſt, ut pauci jus & majeſtatem viri retinuerint. Tum autem libidinis irritamenta plurima ſunt. Jam pridem ſilet Oppia lex, & quanquam Hannibal ante portas eſt, auro matronæ purpuraque fulgent: carpentis cotidiè per urbem velut triumphantes vectantur. Sinè modo, ſine fine, quaſi certamine injecto, divites habere volunt, quod ſolæ poſſint: pauperes, ne ob hoc ipſum contemnantur, ſupra cenſum ſe extendunt. Peſſimus utraſque pudor ſtimulat; illas parſimoniæ, has tenuitatis. Itaque quæ de ſuo poteſt, parat: quæ non poteſt, virum rogat. Miſerum illum, & qui exoratus, & qui non exoratus erit; cum quod ipſe non dederit, datum à mœcho cernet. Adhæc, quam corrupta juventutis diſciplina ſit, quam omnes licentia fiant deteriores, videmus. Vix fari virgo poteſt, jam Feſcennina carmina, jam motus meditatur

ditatur Jonicos: sæpiusque in theatro, quam templo desidet. Ibi aut juvenem aliquem Lunæ amores suos narrantem miseratur: aut Bathyllum spectat & Floralia: aut Myrrhæ incestum, & Deorum adulteria discit. Inter hæc libidinis fomenta nutritæ, qui possint olim vitæ suæ tenere modum? Equidem, jam pridem in liberis non solum disciplinæ vim, sed etiam ipsa rerum vocabula amisimus: quia pro lepore lasciviam, pro liberalitate luxuriam exosculamur: pro ludo & joco libido ducitur. Hæc ego, quo lætior indies fortuna maris est, quo magis opes crescunt, & jam in utrasque Indias transcendimus, omnibus voluptatum illecebris repletas eo plus horreo, ne illæ magis nos ceperint, quam nos illas. Infesta mihi credite signa sunt illata huic imperio ab oriente. Omnis jam ad luxum domus instruitur: Omnis ad pruritum cultus corporis tendit. Quoque magis doleas, nihil interim Germaniæ, nihil Britanniæ fortuna nos commovet. Sua quisque cupiditate ducitur: laxatque libidini frænos, quicunque rogationis Iuliæ lenitatem intelligit. Adversus hæc mala, Quirites, severitate opus est. Jam pridem flagitatur fortior sanctio, qua thoro pudor, penatibus securitas, reipublicæ decus

decus pristinum restituatur. Date, quæso, pudicitiæ præsidium: flagitiis incutite terrorem. Nullus hic Tribunus est, qui rogationi vestrę intercessurus sit: nullum triste omen, quod diem comitiorum diffindi jubeat. Eja, eamus, Quirites, in suffragia. Ego legem Constantini M. omnibus modis in civitate retinendam censeo. Vos, quicquid ex usu reipublicæ sciveritis, id Deum immortalem fortunare velim.



ANTONII MATTHÆI ORATIO X.



DE MODESTIA VETERUM JURISCONSULTORUM.

Recitata VI. ID. Sept. M. DC. CXLIV.

Cum Iuvenes Præstantißimos,

STEPHANUM vander HAGEN, CORNELIUM DEUVERDEN,

Summis in Vtroque Iure honoribus ornaret.



SI pronum ſtudium, facileſque aures libenter ad eos adferrimus, qui novi aliquid aut inexpectati ad nos adferre videntur: adeſte auditores; animumque, & aures faciles ad breve tempus mihi commodate! rem ego novam atque raram ad vos adduco, Modeſtiam. Non illam, quam philoſophi barba & pallio ſimulant; ſed quam veteres Juriſconſulti profitebantur: qui non ſupercilio, non lingua & verborum argutiis, ſed opere ipſo atque rerum

rerum experimentis mores tutabantur. Equidem ſapientiæ magiſtros multa de hac virtute præclara, multa utilia præcepiſſe; nonnullos etiam modeſtè vixiſſe, facile conceſſerim: accuratius tamen calculo ſubducto, penuliſque philoſophantium diligentius excuſſis, in pleriſque ſub hoc nomine maxima vitia, & immenſam ambitionem latuiſſe reperiemus. Quotuſquiſque enim virtute & ſtudiis ut haberetur philoſophus laborabat? pars maxima vultum, & triſtitiam, & diſſentientem à cæteris habitum peſſimis moribus prætendebant. Itaque factum, ut Cynici, qui à civilis vitæ ſplendore remotiſſimi erant, ſuperbiſſimi omnium haberentur; ac neque pallium Antiſthenis, nec pera Diogenis: nec gibbus Cratetis tumoris nota caruerint. Romani verò prudentes, tametſi & in judiciis frequentes, & in concionibus clari, & in prætorio principis aſſidui eſſent, adeò non tradiderunt fortunæ animos, ut etiam in purpura, & mediis aulæ deliciis modeſtiæ laudem retinerent. Cujus rei fidem ut faciamus, non jam illos teſtes citabimus, qui aut maxima imperia ſingulari animi moderatione & æquitate geſſere; aut cum ad ſummos honores pervenire potuiſſent, contemtis faſcibus

intra dignitatem equeſtrem conſtitere: verùm ablata ſella, dimiſſiſque lictoribus, ea ſolùm in medium adducemus, quæ ad juris civilis ſapientiam, & illuſtre docendi reſpondendique munus pertinent. Quanquam enim honores, tam fortiter ſpreti, quàm ſanctè geſti, non leve, nec obſcurum modeſtiæ argumentum ſunt: tamen, quoniam is locus latiſſimè patet, & ſolus juſtum dicendi ſpatium poſtulat, idcircò à nobis præteribitur. Quantum verò ad ipſam juris civilis profeſſionem attinet, partim communis cum aliis, partim propria quædam ac peculiaris modeſtiæ veteris probatio eſt. Etenim, aliarum artium & ſcientiarum magiſtros eo ferè videmus eſſe ingenio, ut difficulter ſuis ſe contineant finibus, ſpretoque Jove Terminali, audacter in aliena invadant heredia. Neque quiſquam eſt alicujus ſcientię cognitione vel leviter imbutus, qui non de jure tam facile judicet, quàm aut canis exta edit, aut pyrum vulpes comeſt. Hoc, inquiunt, æquum eſt: hoc iniquum. Illud durum, eſt, Cæſar: iſtud verò lene nimis & remiſſum. Proinde, quaſi nihil inter alias diſciplinas & civilem interſit: quaſi neceſſe ſit, Alfenum eſſe, aut Varum, quiſquis qualicunq; ſapientiæ laude cenſetur.

ſetur. Juriſconſultorum verò tam religioſa hac parte modeſtia fuit, tam ſanctè ſuis ſe continuerunt finibus, ut cum experirentur difficile eſſe, ut quis excellat in una arte, nedum ut unus in omnibus; ita decernerent: Optimis diſciplinarum magiſtris credendum eſſe: Suæ verò quemque artis magiſtrum eſſe optimum. Stultitiæ imputandum, ſi quis poſtulet ſimul & vietor & piſcator eſſe: ſi medicus ſimul & magus, augur & ſchœnobates audire geſtiat. Itaque ipſi, quoties extra leges & juris quæſtionem quid inciderat, ad eos auctores cauſam remittebant, qui ſi vellent, interdicto retinere poſſeſſionem poterant. Si de vulnere lethali quæſtio eſſet, medicos conſulebant: ſi de partu legitimo, phyſicos: ſin de finibus inter confines exorta controverſia eſſet, geometras adeundos, & menſorum renuntiationi ſtandum exiſtimabant. Neq; verò iis ſolùm profeſſoribus cōcedebant, qui liberaliores artes tractant, ſed etiam his fidem adhibendam cenſuere, qui circa res minus liberales, ac tantùm non ſordidas occupantur. Nā ſi divortio facto mulier prægnantem ſe eſſe neget, obſtetrices mittunt, quæ ventrē inſpiciant. Sin de opere facto lis inter redemtorem & locatorem nata ſit, fabros & opifices in conſilium

 adhi-

adhiberi jubent. Quod si arbor aliena fundo nostro coaluisse dicatur agricolarum judicio standum decreverunt. Multum sanè alieni à sophistarum superbia, qui eo usque dementiæ & ineptiarum progressi sunt, ut omnia profiteri non erubescerent; atque etiam in conventu publicè polliceri, qua de re quisque vellet, de ea se dicturos. Pudendo profectò fastu: quis enim adeò sibi Suffenus est, qui, ut manticam fortasse à tergo pendentem non videat, communem tamen humani ingenii imbecillitatem non persentiscat. Ita namque natura comparatum est, ut non omnia possimus omnes: alius in alia re magis utilis est: idcircò arbitri comparantur, qui vicariam operam judici præstent, ut quibus in rebus ipse quod verum est invenire nequit, in his adsessorum ope atque consilio utatur. Hanc naturæ verecundiam qui dissimulat, quique unus arrogat sibi omnia, næ ille nescit, quantopere à vera sapientia aberret! Nisi fortè sapientes fuisse putat Græculos illos, qui cum esurirent, & Grammatici, & rhetores, & astrologi, & medici, & aliptæ, & quid non videri volebant: perinde ac si latrator venter tam facile omniscios, quam impudentes facere posset. Porrò veterum prudentium modestia

ctia non solùm erga aliarum artium magistros eluxit, verùm etiam tanta invicem constitit reverentia, ut cum viderent, immensum jus civile esse, multas & amplissimas ejusdem partes; illud quoque sponte profiterentur, divinitatis magis quàm humanitatis esse, meminisse omnium: alium publica, alium privata jura exactius callere: hunc de sacris, illum de bello & pace, tertium de stillicidio & aquis pluviis felicius responsurum. Ac licet plerique ex eis etiam viri facundi, & causarum agendarum peritissimi essent, ea tamen animi moderatio fuit, ut si in factum consisteret quæstio, ad patronos consultorem ablegarent, libenter operæ cedentes, ne possessione alios depulisse viderentur. Quæ æquitas & observantia tandiu valuit, donec sequioris seculi, negligentia dicam, an audacia? oratoris & advocati munus confusum est. Intelligebant enim, quam esset difficile, in aliqua arte ad rerum cognitionem parem adferre dicendi vim; quamque paucis obveniat Philonis illa felicitas: qui cum armamentarium Athenis fecisset, opus & sumtu & elegantia spectandum, ita facundè inventionis suę rationem in theatro reddidit, ut populus Atticus non architecti modo, sed & oratoris laudem ei tribue-

ret. Neque verò quisquam existimet, modestiam illam quam auctoribus nostris adserimus, à conscientia tenuitatis profectam: non enim illi capite censi, sed adsidui & locupletes viri erant: quorum etsi imbecilla frons fuisset, magna tamen opum conscientia sustentaretur. Erat clarissimus & certissimus juris vates Q. Scævola: qui quotiescunque de jure prædiatorio consuleretur, ad Furium & Cæsellium consultores rejiciebat; ab his id negotium aptius explicari posse confitendo, qui cotidiano ejus usu pollebant. Nec timuit vir sanctissimus ne auctoritatem minueret, cum animi candorem probaret. Sicut enim inter Grammatici virtutes habetur, quædam nescire: ita ad jurisperiti laudem pertinet, nonnulla ignorasse. Cajus quoque Aquilius Gallus, tametsi dicendi non imperitus esset, tamen quoniam in eo genere primas M. Tullius tenebat, si quando ad eum facti quæstio referretur: quia id nihil ad jus, inquiebat, ad Ciceronem eundum est. Prudenter sanè Gallus, dum ei libenter cessit, qui Romæ loquentis caput erat: sed non minus modestè Servius ille Sulpitius, qui quanquam omnes sui ordinis arte superaret, ac literis humanioribus non leviter tinctus esset: non tamē dubi-

tavit

tavit fasces suos grammaticorum ferulis subjicere, deque verbis obscurioribus M. Varronem diligentissimè per literas interrogare. Magna profectò omnis sapientiæ atque æquitatis laude: quandoquidem optimi artis suæ professores illi judicantur, qui propria studia verecunde, aliena callidè æstimant. Ac nisi vehementer fallor, non minor hac parte juris peritos, quam Græciæ sapientes gloria manet; quorum tanta fuit aliorum erga alios observantia, is respectus, ut cum ex Apollinis oraculo mensa aurea piscatoribus Milesiis extracta sapientissimo deberetur, nemo omnium præmium viri sapientissimi auferre sustinuerit. Nec caruit fructu tam salutaris animi moderatio: hac enim effectum est, ut perquam diu singularis inter eos concordia, & individua studiorum societas staret, nec nisi serò, ac conversa jam republica in partes discederent. Nam ex quo leges duodecim tabularum latæ sunt, & necessaria foro prudentium interpretatio prodiit, usque ad Augusti principatum, anni plus minus quadringenti numerantur: tunc primum diversarum sectarum audita nomina, cum Atejus Capito in iis quæ à majoribus acceperat, perseverandum existimaret: Antistius Labeo fiducia ingenii

& doctrinæ multa innovaret. Neque tamen pudor eis & verecundia periit, simul atque concordia perisse visa est. nam & in dissentiendo eo utebantur temperamento, ut nec pertinaciter urgerent, nec acerbè reprehenderent: errorem magis, quàm adversarium nota dignum judicantes. Sciebant enim interesse aliquid inter sapientes & scurras debere: nec iisdem convitiis eruditos se approbare, quibus in biviis & triviis balatrones se approbant. Quocirca in disputationibus suis hujusmodi ferè formulis utebantur: *Non placere sibi: Non videri: Errare illos: Videndum esse*: & similibus. Atque etiam si quando incalescerent, erroris fœditatem verborum lenitate dissimulabant; ne acribus convitiis infamasse magis, quàm emendasse viderentur. Quod autem derisum alicubi Nervam legimus, qui per fenestram servos manumitti posse monstraverat, id nihil ad excusandam verborum petulantiam: non enim ad cachinnos & dicteriorum acerbitatem erupit illa contentio; sed, ut magnus Cujacius autumat, intra rationum pondus & argumentorum robur stetit, quibus quasi derisus & elusus est Nerva ab iis, qui non auctorem, sed cautionem ab eo inventam damnabant. At non eadem for-

tasse virtute in respondendo, qua in disputando conditores juris usi sunt: quoniam responsa imperitis dantur. disputatio cum peritis est, & mutuo metu coërcetur. Imò ne hic quidem verborum modestiam, & æquabile orationis temperamentum desiderare possis. Cum enim perspicerent, multam inscientiam in vita humana versari, facileque errare, labi, mortalem posse: adeò religiosa in consulendo diligentia usi sunt, ut non, *esse*, sed, *videri sibi*, responderent; etiam cum certò cognovissent. Ejusque verbi verecundia postea in forum ad testimonia & sententias translata est, ut & testes pro testimonio, & judices ultima pronuntiatione, *Videri sibi reum fecisse*, dicerent. Nec injuria: tot enim in rebus mortalium errores versantur, tantum fraudis & calumniarum est, ut sæpè etiam bonus, & cautus, & religiosissimus judex improbitate litigantium, quasi sub hasta vendatur. Pertinacia quoque à Jureconsultis longissimè abfuit, nec cedere puduit rectiora monstranti. Præterquam enim quod nunquam sapientibus laudata est perpetua in una sententia permansio: certi etiam erant, non parùm cognosse, sed in parùm cognito stultè ac diu perseverasse, turpe esse: propterea, quod alterum

communi mortalium imbecillitati, alterum singulari uniuscujusque pravitati est attribuendum. Atque hæc moderatio non tantum eorum fuit, qui in secundis & tertiis consistere se sentiebant: verùm etiam excellentissimi ingenii vir Papinianus, cum scripsisset, non posse pœnam ab emptore peti, si servus sub lege exportandi venditus, in Italia mansisset; quod contra humanitatem ea videretur: non erubuit postea verso stylo, inductaque sententia Sabino cedere; qui idcircò pœnam arbitrabatur peti posse, quoniam hoc minoris homo venisset. Postremò, discendi quoque cupiditas, quam in veteribus Jureconsultis singularem deprehendimus, maximum verecundiæ eorum & modestiæ argumentum est. Nam cum cernerent, immensa esse juris civilis latifundia, tot legum aliarum super alias coacervatarum cumulos, tot Senatus consulta, tantum constitutionum imperialium, quibus evolvendis vix vita hominis sufficiat, cognoscendi quoque studium in extremam ætatem produxere, adeò ut non ante discere quàm vivere desierint. Insignis hac parte & illustris Salvii Juliani laus fuit; qui quanquam tantæ scientiæ peritiæque haberetur, ut ejus potissimum opera Hadrianus

in

in componendo edicto perpetuo uti voluerit, adeò tamen non indulsit sibi, ut semper in ore habuerit viri cujusdam sapientissimi dictum: *Etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere.* Nec minor diligentia Pomponii fuit, qui discendi cupiditatem, quam ipse unam optimam vivendi rationem existimabat, in octavum & septuagesimum ætatis annum extendere sustinuit. Qua animi moderatione nihil majus, nihil admirabilius mihi videtur: homines juris peritissimos, & in summis honoribus constitutos, discendi tamen amorem in ea fortuna retinuisse. Quis enim nescit, plerosque ubi ad votorum summam & laboris scopum pervenisse se putant, ferè aviculas imitari, qui effectis nidis passim ac liberè solutæ volitant: ita ipsi negotiis studiisque defuncti, vacui cura atque sollicitudine vagantur. At non ita veteres Jureconsulti, qui quo longius erant progressi, eo plus sibi viæ restare putabant; hæc illorum præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabantur: hæc præcipua eruditio, quod discere volebant. Digna profectò virtus, quam studiosi juris omnibus modis excolant. Nam si spes eruditionis à diligentia dependet, modestia quoque ad

ſtudiorum proventum ſummopere neceſſaria eſt. Arrogantia enim ignaviam parit, ac velut tempeſtas deturbat omnem virtutis modum. Modeſtia contra induſtriam gignit, qua niſi ſtudia noſtra alantur, vix unquam fama decuſque nos reſpexerint. Verùm, quantum mutati ab illis ſumus; Quanta animorum ſtudiorumque diverſitas atque diſſimilitudo cernitur? Ecquis omnium eſt, cui pudor, cui modeſtia conſtet? Quis vel ætati alterius, vel auctoritati ut minor cedit? Statim ſapimus: ſtatim ſcimus omnia: neminem veremur, imitamur neminem: quin ipſi nobis exempla ſumus. Eo denique jam perniciosa juventutis feſtinatio evaſit, ut non ſolùm in curſu, ſed & circa initia ſtudiorum graviſſimè peccetur. Quotuſquiſque hodiè, antequam ad juriſprudentiam tranſeat, aut grammaticis operam dare, aut philoſophorum placitis imbui ſuſtinet? Cui autem hiſtoricorum fines ingredi, cui antiquitatis arculas ſcrutari lubet? Illotis, quod ajunt, manibus feſtinamus ad edicta, & ediſcimus Maſſurii rubricas, perinde ac ſi nihil inter legulejum & juriſperitum interſit; ac ſi nulla re formularius à prudente diſtet; teneatque civilis ſcientiæ arcem quidam cautus & acutus preco actionum, cantor formula-

mularum, auceps syllabarum. Atquin alia fuere adminicula, quæ priscis illis viris immortalitatem peperere: aliæ artes, quibus caput supra vulgus extulere. Orbem illi disciplinarum animo complectebantur, & assumtis philosophiæ atque antiquitatis rivulis, pleno quasi alveo ad patentem legum Oceanum decurrebant. Nec grammaticos adire pigrabantur, aut in rhetorum scholis conspici: quippe qui scirent, verborum proprietate multas quęstiones juris contineri: fundamenta autem civilis sapientiæ inferioribus disciplinis comprehendi. Quæ quanquam procul ab ostentatione videantur remotæ, non idcircò percipiendæ sunt: nisi fortè & architecto basis negligenda; quia operum fundamenta latent, fastigia à prætereuntibus spectantur. Nam sola legum carmina fuere, quibus Sulpitius Scævolam, Labeo Capitonem vicit? nihil ne præter ingenii fiduciam, & exercitatum vultum? ac non potius provisa ante liberalium disciplinarum auxilia, quibus instructi multa à veteribus rudius tradita, feliciter innovare aggressi sunt? Nũc si Themidi placet, etiam pueri paradoxa somniant, & artis dialecticæ reliquarumque ignari, novandi libidine pruriunt; quodque indignissimum verborum & lo-

quendi

quendi imperiti; rebus ipsis novas dare gestiunt formas. Quos quidem memores esse decuerat præclarissimæ Cretensium legis, Platoni quoque laudatæ; qua juvenes reprehendere leges Minos vetuit: senem verò si quid excogitasset, principibus & æqualibus, nemine juvenum audiente referre jussit. Verum, quid ego Platonem, quid Minoem adversus hos appello? qui ignorantiam suam tanta armant impudentia, tam intolerando fastu, ut ne Themidi quidem, si præsens responsa daret, concessuri videantur. Quorum ingenii scabiem, & desperatum judicii morbum quoties intueor, vix quicquam aptius aut accommodatius in eos dici posse videtur, quàm quod olim disertissimus rhetor torsit in arrogantes pædagogos. *Nihil*, inquit *pejus est illis, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sævientes stultitiam suam perdocent.* Nec sanè fieri aliter potest, quin pessimi sint illi, qui in summa rerum optimarum ignorantia scientiæ laudem affectant. Quid enim pejus latrone nudo? Quid deterius malo poëta? Eo plerunque res eis redit, ut nisi fateri inscitiam velint,

lint, necesse sit eis malis esse. Nam quid faciat homo festinatione præceps, qui docere voluit antequam didicisset? cui grave fuit cum Pythagoreis quinquennium silere? cui magis placuit militis gloriosi vox: *Quid ego hic adstabo tantisper cum hac forma & factu sic frustra?* Agnoscatne peccatum? emendet errorem? an potius ut in aliquo numero hæreat, aut aliis scriptoribus furtum facere, aut dicam grandem & calumnias impingere debet? Hic, inquito, ineptus est, fabulas narrat: hic tetricus, & scirpi fortunas laudat. Grammaticum ille agit, & critice superbit: historicum iste, & Evandri Sicanorumque leges callet. Nullus denique tam consultus juris sit, cui non maculæ aliquid, aut æruginis aspergere norit. Dici vix potest, quantum his rebus fiat, quam compendiosum ad famam iter sit. Paucissimi enim ex juventute intelligentes sunt: pars maxima specie quadam eruditionis & pompa capitur. Hi proni atque succincti ad omnem ostentatoris clausulam plaudunt: nec exsurgunt modò, verùm etiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant. hinc tumor docentium, & vana de se persuasio, usque adeò, ut illo discipulorum tumultu inflati, familiam in jure sibi

ſibi ducere videantur. Quapropter non ſolum impune, ſed etiam cum emolumento quoſvis criminari poſſunt: nec errores duntaxat arguere, ſed & rectè tradita faſtidire. Licet eis hac parte coquum comicum imitari; qui quanquam videret cœnam rectè coqui, intrò tamen iturum ſe minabatur, ut quod aliis condiverat coquus, viciſſim alio pacto condiret: ita ipſis quoque fas eſt in chartas invadere, ut alio modo intricent, quod alius jam extricaverat magiſter; ac ſi quid hactenus certum fuit, deinceps in introverſo jure cenſeatur. At enim cujuſmodi ſunt illa, quæ tanto faſtu, tantaque pompa jactare ſolent? quid eſt, quod ab omnibus neglectum, à ſe reprehenſum venditent? Non in faba hilum, non in ſilice aquila: puerorum iſta crepitacula ſunt; grandius aliquid eſt, & dignum de quo magno hiatu, inveniſſe ſe, exclament. Cicilendrum eſt, & polindrum, & macides, cicimandrum, happalopſides, cataractria, & ſi qua alia veteris ſcenæ condimenta feruntur. Non enim jus illi condiunt, ut alii coqui faciunt, ſed divinis condimentis utuntur, qui homines ex mortalibus immortales faciant. Has nugas, hæc veteris ægri ſomnia cum tradunt, non timent, ne in ludo tanquam
in

in flagitio deprehendantur. Clamore enim, & lateribus, & docendi obscuritate profecerunt, ut ne facile à tyrunculis argui possint. Sepiæ perquam similes: ut enim ea atri cujusdam cruoris effusione aquam turbat, ne piscatoribus prædæ sit: ita hi audacia, impudentia, calumniis se tegunt, ne juventuti ludibrium debeant. Verùm ut olim de Cæsaribus dictum: nullos magis magnitudine caruisse, quàm qui sibi majestatem vindicabant: ita de hac jurisperitorum fæce dicere possis; nullos magis notitia legum carere, quam qui sibi artem arrogant. Vera eruditio conscientia contenta est; nec ambit gloriam, sed trahit: ficta omnia mendaciis gaudent, & fucum facere satagunt: qui ubi semel spiritu doctrinæ solidioris fuerit discussus, illico tanquam fulmine tactus ostentator concidit, jacetque exanimum ac sinè sanguine corpus. Ut enim nullum simulatum longævum est, & tincta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt: ita nihil minus durabile, quam eruditionis larva: nihil citius senescit ac emoritur, quam fama simulatione studiorum quæsita. Quapropter juventus studiosa ab hac ingeniorum peste quam longissimè abesse, arrogantiamque quantum potest, odisse atque fugere debet.

Non solùm quod per se turpe sit, arrogare tibi quod abest, sed & quod breve plerumque superbię regnum, & exitus principiis dissimillimus sit. Nam eorum quibus circulatores imposturam facere cogitant, alii quidem cordati sunt, alii verò vecordes habentur. Cordatis statim & gravis & suspecta est illa fugitivorum magnificentia. Itaque cum audiunt Pyrgopolinicem aliquem aut Therapontigonum magna voce pugnas & facinora sua cientem, illicò: *nimium tinnis*, inquiunt, *non places*. Nec falli obscuritate possunt: sciunt enim verissimum esse illud viri facundissimi dictum: *Quò quisque obscurior, eo etiam deterior est.* Qui verò simpliciores sunt, his quidem imponit aliquandiu leo ille Cumanus, terretque pavidos horribili specie: verùm ubi detracto spolio ad suam faciem, id est, ad asinum redierit, lascivi pueri aures ei & barbam vellunt. Neque sanè quisquàm adeò aut obesæ naris, aut abjectæ patientiæ est, ut non ei fastidium tandem moveant toties repetita convicia, tam crebrò laudata inventa; ut non aliquando memoria sua deprehendat infelicem illam ostentatoris supellectilem, quæ sicut apud pauperes ambitiosos pluribus conteritur officiis. Ego verò, studiosi juvenes, abesse à vobis velim,

velim, non solùm illam agyrtarum vaniloquentiam; sed etiam omni loco, omnibusque horis modestiæ leges ad unguem tenere. Non enim Thrasones solùm in extremo comœdiæ actu corruunt, sed viros quoque doctos interim nimius gloriæ ardor perculit. Non Thraso, non Pyrgopolinices Angelus Politianus fuit: fuit ille sui ævi decus, & illustre literatorum jubar: qua gloria non contentus, dum juris scientiam affectat, etiam literis partam famam penè perdidit. Jactaverat ille, se glossematis suis vel ipsum Accursium superaturum: incertum qua spe, quave fiducia: forte quod putaret, minimo periculo de jure responderi: si id quod oportet responderis, idem videare respondisse quod Servius: sin aliter, etiam controversum jus nosse & tractare videare. Nihil causæ esse, cur non literator triduo infulam mereri possit; cum orator, si bilem sibi movissent, triduo nomen inter Jurisperitos profiteri voluerit. Utcunque sit, non tulit inultam viri jactantiam Marianus Socinus, unicaq; proposita quæstione ita literatorem perculit, ut ejus diei lociq; semper meminisse posset. At cujusmodi illa quæstio fuit? num ex intimo legum recessu depromtum ænigma? num Gordius nodus ex spinosis

inter-

interpretum disputationibus? Nihil horum:quid ergò? Sui heredis definitionem Socinus postulabat, quam tyrones callent, quam dupondii tam facilè quàm suum nomen norunt; quæ certi, non controversi juris est: in hac reddenda Angelus ille Politianus obmutuit. Atque ut huic malè vertit alienorum finium injusta usurpatio,ita non desunt exempla eorum, qui suis in finibus turbantes, aut turpiter deprehensi, aut ut parcius loquamur, non eum quem speraverant plausum consecuti sunt. Venerat olim Papiam, ut Caccialupus narrat, juris docendi causa, quidam Philippus de Regio: is quod inaudisset, in novis cœptis famam validissimam esse, ut novo muneri decus adstrueret, publicè profiteri ausus est, de testamentis & supremo morientium elogio, ut cuique visum foret, subita & extemporali facultate se responsurum. Non tulit arrogantiam hominis Baldus, improvisaque interrogatiuncula ita virum tetigit, ut vox illi faucibus hæreret, nec quicquam restaret, nisi ut obvoluto capite, quantum posset, fugeret. Sed hujus quidem casus, quoniam vetus est, & obliterata penè memoria,minus fortasse auditores afficere poterit: ad eos deveniamus, qui propius admoventur ævo nostro,

ſtro, quorumque recens memoria, ac cotidiana penè laudatio eſt. Quis neſcit, quanta in foro Caroli Molinæi auctoritas ſit, quàm læta fama, frequenſque lector? ut alii ſummum pragmaticum, alii decus tribunalium appellet, cui fori Gallici prudentia nihil par habeat: qui ſit omni prædicatione longè ſuperior; cujus denique lucubrationes tanti ſint, ut Pontificii, licet hominem odiſſent religionis ergò, ſcriptis tamen uterentur doctrinæ cauſa, ficto Caſparis Caballini nomine ea pro teſtimonio laudantes? Hic tamen talis tantuſque vir, cum ingenio nimis fidens multa ex ſuo ſenſu innovaret atque corrigeret, juſtam aliorum reprehenſionem non effugit, ut in multis pro bono & æquo ſuam quandam & cerebrinam æquitatem ſecutus dicatur. Bertrandi quoque Argentrei in explicandis Britanniæ ſtatutis quanta, quàm penè inimitabilis diligentia fuerit, non ignorat, niſi qui in commentariis ejus hoſpes eſt: multo tamen major atque illuſtrior gratia foret, ſi non ſuis inventis plus æquo tribuiſſet, nec genuinum legibus Romanis illidere tentaſſet, dum tanquam rixoſa & abſurda damnat, quæcunque à patriæ ſuæ conſuetudine aliena videbantur. Sed his quidem viris facilè ignoſci poteſt, qui a-
liis

liis rebus meruere, ut quicquid hac parte peccatum eſt meritorum magnitudine obtegatur. Sumit enim magna virtus aliquid ſibi licentiæ, nec valdè iraſcimur, ſi quid mutantem ex priſca conſuetudine defendat rerum geſtarum gloria. Verum quid illis fiet, qui nulla meritorum fiducia, in ſumma rerum pulcherrimarum ignorantia novãdi ſibi poteſtatem ſumunt: nec animadvertunt, ſi quid Servius & Labeo contra morem & conſuetudinem veterum reſponderint, magnis & divinis bonis, ut ſibi liceret, conſecutos eſſe. At de ipſis quæ unquam opinio, quæ expectatio fuit? quis hactenus aut in patronorum, aut advocatorum numero vidit, qui tam impudenter cenſoriam ſibi virgulam arrogant? An neſciunt, quàm turpiter flagitioſèque diſceſſerit ſuperiore ævo Baſius ille, cujus tanta libido, tam inconſultus furor fuit, ut cum celeberrimos quoſque interpretes, Alciatos, Cujacios, Hotomannos, Viglios conviciis proſcinderet, tum inſigni orationis vanitate, grandique ſupercilio identidem jactaret, à ſe ſolo animadverſum eſſe, quod multis ſeculis univerſos latuerat. eſt operæ pretium audire, quibus ille verbis, qua ſententiarum pompa ſua extulerit: quantum in docendo voce ſtyloque

potens

potens fulminarit. *Pergo ad alia ipsis adhuc incognita & inaudita doctoribus.* Et: *Mirum est, ac plus mirum, doctores adeò oculatos, in re tam manifesta, tanto impegisse tempore.* Item: *Nunquam intellexere doctores quid sit suum heredem esse.* Itē: *studiosus lector hanc nostram doctrinam diligenter animo infigat: quia etsi trecentos in doctorum scriptis evol[...]is falleret annos, nihil simile ac tam solidum in hac materia est deprehensurus.* Hęc & hujus farinæ alia magno conatu, plenisq; buccis ille crepabat. Verùm quē tulit nugator jactantiæ suæ fructū? quod nomen, quę gloria scribentē consecuta est? Quantum quæso hominū est, qui Basium vixisse gaudent? Quam frequens lector terit ejusdem libellos? Latet, eheu, latet misellus cū obscuris viris, nec quicquam Basii post rogū superat. Penetravere libelli per iter tenebricosum, illuc, unde negant redire quenquam: ubi sunt Grylli lachrymosa carmina: ubi Neronis delphin, & Volusi annales, cacata charta: ubi Cæsii, Aquini, Suffeni, & quantum est hominum invenustiorum. O spes hominum fallaces! ô curas atque cogitationes inanes! qui posteritati scripserat, penè posteris vixisse nescitur: qui seculis prodesse voluit, etiam suo seculo materies ridendi fuit. Ite viri magniloqui, lingua fortes, ignavi opera atque grandilo-

quentia veſtra ſtabilem gloriam vos conſequi poſſe ſperate. Eruditionis, non oſtentationis præmium honor eſt; qui ſi cui judicio ſtudioque peritorum deferatur; is verè honeſtus & honoratus vir exiſtimabitur: ſin prava ſimulatione & inanibus verborum ludibriis honorem apud imperitos aucupabimur, non honor iſte, ſed falſi honoris brevis umbra erit. Quapropter ita exiſtimare debetis, juvenes ornatiſſimi; nihil magis eruditos decere, quàm pudorem: nulla magis re imperitos à peritis diſcerni, quàm impudentia. Ut enim fortiſſimos plerunque viros, dum armantur, pallor occupat; & ſigno pugnæ dato, ferociſſimo militi paululùm genua tremunt: ita fieri non poteſt, quin optimis quibuſque artium magiſtris, dum ad dicendum ſcribendumve componuntur ſumma rigeant. Multa enim illis cavenda, multa vitanda ſunt, ne aut dicenda tacuiſſe, aut tacenda dixiſſe videantur. Ad ſingula cautos & ſollicitos pudor facit: qui quo pernicioſior audacia eſt, eo diligentius in poſſeſſione retinendus, ac ſi fieri poſſit, quovis interdicto defendendus venit. Pudor, ſive rectus, ſive nimius, ſemper extra noxam eſt: nam & rectum laudamus, & nimio facile ignoſcimus: impudentia verò unquam non noxia, gravis, &

inviſa

invisa cunctis habetur. Quae enim honestior vox esse potest, quàm illa fortissimi viri Hectoris; αἰδέομαι Τρῶας? contra quae turpior, quam illa Caligulę, qui impudentiam inter dotes naturae numerabat? Quis autem omnium tam leni, tam patienti animo est, ut ostentatorem semper aequis auribus sufferat? Nam si alienae quoque laudes parum aequa mente accipi solent, quanto gravius ad aures propiarum laudum buccinatio accidit? Et si praeficarum nobis molesta atque odiosa oratio est, quis agyrtam pro rostris concionantem aequis oculis aspexerit? Non in praeconis voce, sed in conscientia eruditionis fructus ponendus est: sequi scribentem, non appeti debet gloria: nam & quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gessit praedicante, evanescit. Quod si quis in hoc studiorum & modestię circo currentibus obstare videbitur, virtute ille, non calumniis dejiciendus est. Atque etiam si manifestus erroris & ineptiarum teneatur, nequaquam deprehenso insultandum. Omnium enim rerũ vicissitudo est: nec quisquam mortalium cunctis horis sapit. Cecidit ille: & tu cades qui sequeris; fortuna publica est. Deserit illa protervos, fugit impudentes: sola modestia est, quae instabilem ac fugacem in potestate retinere possit.

ANTONII MATTHÆI

ORATIO XI.

DE

ABSTINENTIA JURISCONSULTORUM.

Recitata VI. Maji Anni M. DC. XLV.

Cum CORN: ab HEEMSKERCK, I. *V. D. pronuntiaretur.*



Ilitantium apud veteres Romanos eum fuisse favorem accepimus, ut non solum res eorum castrenses, patris in cujus erant potestate, censu & dominio eximerent; verum etiam profecturos in aciem parentes & propinqui rebus necessariis instruerent: aliis quidem vestem militarem, aliis mancipia, aliis jumenta & sarcinas dono dantibus. Hunc Romanorum morem mihi fortasse imitandum aliquis censuerit, qui hodie cum Deo opt. max. te, juvenis præstantissime, militiæ togatę initiaturus sum, ut liberalitate nostra adjutus, instructior atque ornatior in aciem forensem prodire possis. Verum, alia

alia mihi in te ornando, nec tamen prorſus diſpar aut diſſimilis ratio conſtabit: nam neque aurum, neque argentum, neque veſtem à me expectabis ullam, neque omninò quicquam earum rerum, quæ apud vulgus in admiratione ſunt: donum tamen à me proficiſcetur; ejuſmodi, quod ſi gratum acceptumque adverſus te fuerit, maximæ mihi voluptati, tibi vero honori, atque emolumento erit. Etenim, qui gemmas, qui vaſcula pretioſa, thoroſve pictos donant, hamatis ſuis & viſcatis muneribus accipientes opprimunt verius, quam adjuvant: noſtrum vero munus neque mihi ſumtui, neque tibi oneri erit: decebit autem utrumque noſtrum, me quidem, qui id offeram: te verò, qui oblatum libenter cupidèque acceptes. Cum enim inſignibus honoris à nobis auctus, mox in forum proceſſurus ſis, ut facundia tua & peritia nocentibus terrori, probis ſaluti ſis: quod majus, quod pulchrius à me proficiſci munus poterit, quam ſi aures tuas ejuſmodi preceptis imbuam, quibus inſtructus ſcopulos juriſperitorum prudenter cavere, aliorumque naufragia ſecurus è portu deſpicere poſſis. Sunt autem ſcopuli, in quos impingere proram imperiti ſolent, multi quidem, ſed periculoſiſſimi, avaritia

atq; intemperantia. Non fretum Siciliæ, non saxa Cepharea, non Cilicum litora tam præsens exitium adferunt, quam insatiabilis causidicorum furor atque cupiditas: quem dum omnibus modis alere atque explere conantur, in ambiguo disputantibus reliquerunt, utrum præstabilius sit, nullos omninò oratores in civitate esse, an dum imperitis patronum largimur, eorundem ingluvie & sordibus patrimonia civium exhauriri. Verùm, hos tu scopulos ita commodissimè vitare poteris, si cotidiè titulum tuum legas, teque identidem interroges, quam personam in civitate gerendam susceperis: qua fide, probitate, abstinentia eum esse deceat, qui partem aliquam reipublicæ studiis civilibus tueri atque defendere velit. Deinde ob oculos tibi pones exempla, tum illorum, qui virtute & abstinentia immortalem sibi gloriam peperere: tum istorum qui oppositis vitiis æternum nominis dedecus consecuti sunt. Tametsi enim dociles aures præcepta facile imbuunt, efficacius tamen exempla movent, validius nutantem animum impellunt, dum vita atque opere ipso approbant, quæ verbis atque oratione sapientes præcipere solent. Principiò itaque quemadmodum mathematum doctores quæ-

quædam ante ſibi concedi poſtulant, quo cætera facilius perſequantur: ſic ego à te, mi Candidate, hoc mihi concedi poſtulo, niſi qui vir bonus ſit, Juriſperitum eſſe aut dici poſſe neminem. Nam ſi rhetores rectè ſenſerunt, non poſſe oratorem eſſe, niſi vir idem bonus ſit: quanto magis de Jureconſulto id aſſeverandum, cujus perſona utraſque hodie partes, & oratoris, & advocati ſuſtinet. Verus enim Juriſperitus non eſt ſophiſta quidam Græculus, qui vanis verborum argutiolis curtum torqueat enthymema, aut captioſo ſorite circumfuſis illudat diſcipulis: ſed eſt Romanus quidam ſapiens, qui aut facundo ore leges & jura docet, aut umbræ & pulveris ſcholaſtici pertæſus, vera adit diſcrimina, & ambigua cauſarum fata dirimens, interim reipublicæ, interim ſingulis patronam vocem commodat. Qua in re non tam ſuum emolumentum, quam publicam utilitatem ſectatur: nec animi libidinem & cupiditates pro norma habet, ſed leges, & plebiſcita, & principum placita, & mores populi pro regula obſervat. Quę quanquam infinita & immenſa eſſe videntur, univerſa tamen quantacunque ſint, ſummis quibuſdam præceptis abſolvuntur: quibus primùm honeſtè vivere: dein ab

injuriis abſtinere, poſtremò ſuum cuique tribuere jubemur. Hæc totius juris ſumma eſt: hoc legum innumerabilium compendium: quod ſi diurna nocturnaq; cura atque contentione verſaveris, facile animadvertes, ſi quiſquam in civitate eſt, non ſibi ſed aliis natus, hunc vel inprimis Juriſconſultum eſſe: quippe cujus officiũ hoc præcipuum eſt, nocere nemini, cavere, conſulere, prodeſſe quamplurimis. Eſt autem ita natura comparatum, ut nemo aliena rectè curare, aut jus ſuum cuiq; tribuere poſſit, niſi vitiis immunis, virtutis ſtudio totum ſe mancipet: nec rectè faciat, ut videatur facere, ſed quia ſentit, ſe facere aliter nullo modo poſſe. Qui vero Juriſperitum à viro bono dividunt, eumque eſſe putant, qui legibus, moribus, inſtitutis civitatis imbutus rationem habeat rei familiaris; hi mihi cum Hecatone illo Rhodio, Panætii diſcipulo, feneſtram avaritiæ & cupiditatibus aperire videntur: nec enim poſſis facile rei familiaris curam mortali injungere, quin longius ille progreſſus, divitiarum ſtudium ſibi commendatum arbitretur. Ex eo autem ſtudio, tanquam ex dolio Pandoræ, aliæ porro peſtes uberi proventu pullulant; perjurium, peculatus, rapinæ, concuſſio, ſacrilegium, ſeditio, perfidia: quæ

mala,

mala, si cujus animo incubuerint, neque jus ille, neque justitiam colet, sed hoc solum justum arbitrabitur, quod utile sibi fore perspexerit. Quod ut plenius faciam, atq; ut ajunt, ad oculum tibi demonstrem, paucis mihi, mi *Heemskercki*; ad ea quæ rogo, respondeas velim. Primùm, cum in forum transire nisi juratis non liceat, quomodo tu Jovem lapidem jurabis, si tibi pro Jove aurum; pro fide cupiditas, pro religione voluptas sit? Dein, ut fortè transieris, quomodo, quæso, civibus tuis vigilare, cavere, consulere poteris, si nihil civium, omnia tua causa facias? Qua autem fronte concipies illam fidei & fiduciæ formulam; *Inter bonos benè agier*: item: *Dolum malum abesse, absuturum esse*, &c. quis enim bonus? qui nihil facit, nisi sua causa? Quod porro jus statues communi dividundo, cum commune nihil esse possit apud eos, qui omnia cupiditate sua metiûtur? Quis familiæ erciscundæ, quis finibus regundis adhibere te ausit, quem ubi semel admiserit, suis ipsi finibus & familia sit carendum? Taceo testamẽta, & ultimas moriturorum preces: quibus dictandis, siquis malè consultum & conciliatum advocaverit, facile pro suo extraneum heredem habiturus est. Irrepere enim in ceras, aucupari legata avari

tam facile norunt, quam sphæram per præcipitium mittere. Quod si hæc eos spes decollet, jam gradus heredum, & modos, & conditiones conturbabunt, tantam litium jurgiorumq; materiam ferent, ut mors ante heredes occupatura sit, quam plena liberalitate testantis frui possint. In publicis vero & capitalibus caussis quomodo aut accusatoris, aut advocati partibus defungi possunt, quorum animus immensa auri atque argenti cupiditate inardescit? Preterquam enim, quod nullo modo ferendum sit, rationem vitæ ab aliis poscere velle, qui ipse non possit reddere suę: etiam verus firmusque accusator non erit, qui pectus scelerum conscientia innexum atque illigatum habuerit Quam enim ridiculum, si Clodius mœchos, Hermogenes fures, Catilina seditiosos peragere velit: si in sicarios Fimbria, in parricidas Malleolus, in repetundarum reos Verrres judex sedeat. Nulla profectò spes, nulla judiciorum expectatio erit, si tabellam judicandi causa porrectam, avara manus sumserit, infamibus notis redemtam pretio ceram impletura. Contra vero remedium hoc ægrotę ac prope desperatæ reipublicæ unicum est, si ad legum defensionem judiciorumque auctoritatem quam honestissimi, & integerri-

mi,

mi, diligentissimique accedant: qui in consilio habeant legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem verò, avaritiam, odium, invidiam, cupiditatesque omnes procul amoveant. Cum igitur neq; cavere rectè, neq; causas defendere, neq; à prætore in consilium mitti incontinentes possint, perspicis, mi Candidate, Jurisperiti nomen nullo modo tueri eum posse, qui non oculos atque manus abstinentes in forum adferat: secus non præco legum, sed caupo; non antistes, sed gurges: non doctor juris, sed decoctor & corruptor appellandus. Accedit quod immensum illud pecuniarium studium, & inexhausta quærendi cupiditas, cum dignitate quoque & existimatione jurisperitorum plurimum diffideat atque pugnet. Nam, ut M. Tullius ait, in universum in republica duo hominum genera sunt: alterum indoctum & agreste, quod antefert semper utilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus dignitatem anteponit. Si quis igitur reperitur ea amentia, ut cum avaritia summa, & indelebili auri fame scientiam juris sibi arroget, animadvertis facile, eum in ordine Jurisperitorum nullo modo consistere posse, sed in aliorum illum indoctorum & agrestium gregem rejiciendum esse. Qui verò ad lu-

cra illa diurna atque horaria idcircò attentiores se esse dictitant, quod dignitatem sine opibus neque parari, neque defendi posse putent: graviter labuntur: ac ne perspexisse quidem videntur, quæ sit vera dignitas, quæ nativa honoris species. Pecuniæ quippe communis est omnibus mortalibus possessio: honestas, ac decus, & quicquid ad laudem honoremque spectat, sapientibus proprium, ac peculiare bonum est. Quærant, corradant, quantumcunque velint: si opes possessorem astris admovent, jam propior cœlo erit vilissimæ alicujus mercis institor, plusque voci suæ præco, quam patronus debebit. Vincet causidici vigilantiam scortorum patientia, plusque in censum quotannis temo, quam toga referet. Procedat in medium nova Mathonis lectica: jactet se in circo quadriga Reguli: næ utrumque mulio aliquis cocco fulgens, aut amentarius auro squalens de via decedere coget. Veniat cum quindecim millibus ducatorum Baldus noster, quam ille summam solis heredum substitutionibus accepto tulisse dicitur: næ illi pudorem incutiet Phrynes aut Rhodopes opulentia, quibus vulgata pudicitia tam monstrosas peperit divitias, ut altera inter regias pyramides opus visendæ magnitudinis ponere:

nere: altera Thebanorum mœnia ab Alexandro eversa restituere potuerit. Quã turpiter, ut ipsius barbarismo utar, hic se dabit Ludovici Romani cappa sericea: quos risus spectatoribus movebit Jasonis Mayni toga inaurata: nihil enim habent, quod cum prostibulorum elenchis comparari queat. Verum imperitæ hic plebis execrandus error est, divitias primo; bona animi secundo collocantis loco: sapientes contra ita existimant: divitias corporis, corpus autem animi gratia paratum esse. Pudoris multum, non auri liberis relinquendum. Censum vero sordibus vacuum, & rerum necessariarum non indigentem in vita decentissimum habendum. Horum tu, præstantissime *Heemskerki*, monitis obtemperare, his desertaRomuli fęce adhærescere debes: nisi forte existimas, nihil Romæ dignitatis penes Tuberones fuisse, cum sexdecim ejusdem nominis viri unis ædibus, uno fundo in agroVejenti contenti essent: nihil existimationis in magno illo Catone, cũ Hispaniæ proconsul pellibus hædinis pro stragulis uteretur, tribusq; servis comitatus, & quingẽtorũ assiũ sumtu transmarinam provinciam peteret, eodẽ cibo, eodemq; potu, quo nautæ cõtentus: nihil denique splendoris in MenenioAgrippa,

nihil in Cincinnato fuisse, quorum alteri, quatuor tantum jugera aranti, dictatura delata: alter propter inopiam publico sumtu, collectis in capita assibus, funeratus est. Atquin alius longè priscis Jureconsultis sensus fuit: qui ut magni & illustres in civitate haberentur, non in sacculis & ambitu, sed in virtute spem & fiduciam collocare solebant: ac licet nonnulli ex eis in re tenui & angusta essent, principem tamen in republica locum integritate & abstinentia retinuerunt. Ex eadem enim Tuberonum familia, quæ paupertate & parsimonia laudatissima fuit, vir in disputando doctissimus Q. Ælius Tubero prodiit: cujus tanta fuit probitas, tam sancti mores, ut à Fabio Maximo epulum P. Africani nomine dante, triclinium sternere rogatus, non dubitaverit lectulos ligneos pellibus hœdinis sternere, & pro argenteis vasis Samia exponere. Ac licet sciret populum Romanum privatim parsimoniam, publicè splendorem probare, facilius tamen se innoxiam paupertatem, quam opes sordibus partas probaturum confidit. Quintus vero Mutius Scævola IC. & Pont. Max. cum Asiam proconsulari imperio obtineret, tametsi messem auream provincia locupletissima ostenderet, ea tamen

men animi virtute atque moderatione fuit, ut & Asiæ saluti, & successoribus suis pro exemplo esset. Nec aliam ob causam inimicissimos publicanos habuit, quam quod sanctos viri mores rapax hominum genus non ferret. Idem tam insigni in contrahendo probitate, tam raro candore usus est, ut fundum emturus, cum pretium semel indicari sibi petiisset, emtorque minoris laudasset, ultro addiderit centum millia. Non enim ingenui, non aperti, sed vafri & fallacis viri existimavit, sui emolumenti causa aliquid celare eum, cujus id scire intersit: quid enim id aliud, quam ex alterius inscitia prædam quærere? Nec Sabini Massurii nobis reticenda virtus, qui quanquam eques Romanus, multæ eruditionis, magnæque peritiæ esset, adeò tamen scientiam juris in occasione quæstus non habuit, ut, cum amplæ facultates non suppeterent, ab auditoribus sustentari, quam quicquam professione indignum committere maluerit. Sciebat enim, rem esse sanctissimam juris civilis sapientiam, sed quæ pretio numario non sit æstimanda. Acceperat etiam haut dubiè magni Platonis oraculum: impossibile esse, ut divites valdè, simulque probi cives sint, cum natura ita comparatum sit, ut magnæ di-

vitiæ diversa simul vitia, luxuriam, avaritiam, atque superbiam progenerent. Verùm nunquam magis emicuit, quantum inter cupidum & abstinentem interesset, quàm Augusto imperante, cum Antistius Labeo & Atejus Capito diversas, non in jure solùm, sed & vitæ genere sectas ducere cœpissent. Capito honorum & fortunæ desiderio ardens, ita se Cæsaribus induit, ut grato obsequio fasces consulares ab Augusto acciperet. Labeo vero magna virtute, magnaque abstinentia, illo juris regno, quod habebat contentus, adeò non blandiri potentioribus sustinuit, ut oblatum ab Augusto consulatum, tanquam auctoramentum servitutis fortiter spreverit; studiisque suis mancipatus ita diviserit totum annum, ut Romæ sex mensibus cum studiosis esset: sex mensibus secederet, & libris conscribendis operam daret. Qua re effectum est, ut viventibus illis insignia virtutis Atejus, virtutem ipsam Antistius possedisse videatur: defunctis verò, immane quantum lætior & illustrior hujus quàm illius fama fuerit! Quid Æmilium Papinianum hic referam, virum omnibus animi ingeniique dotibus cumulatissimum, qui principem in civitate locum, & prętorii amplissimam præfecturam, quam sub Septimio

Severo

Severo virtute promeruerat, ſub Caracalla eadem virtute & fortitudine depoſuit. Cum enim parricidium Caracallę defendere pro concione juſſus eſſet, vir ſapiens & fortis, qui externa cuncta habebat, nec habebatur ab illis, cervicem ſecuri præbere, quam gloriam ante partem defenſione immanis ſceleris contaminare maluit. Perſuaſum quippe ei erat, illa ſecuri, neque ſenſum de ſe Populi Romani, neque exiſtimationem Senatus, neque conſcientiam generis humani aboleri poſſe. Nec degener Papiniani diſcipulus Domitius Ulpianus fuit, cujus conſiliis Alexander Severus adeò præclarè, adeò feliciter rempublicā geſſit, ut inter optimos principes, & Populi Romani delicias numerari meruerit. Ac licet non ignoraret, inviſum propterea atq; infeſtum militibus caput ſuum eſſe, qui pro lege licentiam, pro diſciplina laſciviam malebant; mortem tamen potius oppetere, quam vim caſtrēſis diſciplinæ ſolvere voluit. Plura hujuſmodi ex vetere hiſtoria exempla memorari poterant: in quæ tanquam in ſpeculū intuens, vitam quiſque ſuam & mores fingere feliciter atque emendare poſſit, habet enim ut in ætatibus ſenectus, ſic in exemplis auctoritatem antiquitas. Sed, ne vetera tantùm mirari videamur, recen-

recentium incuriosi; age Candidate, ad eos nunc descendamus, qui licet sequioribus seculis nati, insignia tamen virtutis decora, & posteris imitanda nomina reliquerunt. Prodeat in medium Raphäel ille Fulgosus, cujus corrupto jam Latio tanta pietas, tam tener conscientiæ sensus fuit, ut cum juvenis, & jus ignorans pactum de quota litis cum cliente iniisset, dein matura jam ætate, auctaque scientia pactiones hujusmodi turpes & legibus prohibitas intellexisset: pecuniam acceptam cum usuris clienti non opinanti ultrò restituerit. Prodeat Philippus ille Corneus, cujus similiter animus ab avaritia alienissimus fuit: ita, ut non solùm cognatis, adfinibus, amicis: sed & civibus suis Perusinis gratis de jure responderet: ab extraneis non peteret, sed acciperet, quod offerebatur: locis vero religiosis etiam suo cibo sumtuque patrocinatus est. Prodeat magnus ille Alciatus, qui claritatem nominis sui eo usque intenderat, ut à Pontifice Romano luculentis conditionibus Romam evocaretur. Ac licet non exigua spes auri purpuræque affulgeret, pluris tamen suggestum suum, & circumstantis juventutis coronam, quam apicem pontificium æstimavit. Haud paulo profecto

fecto major & melior vir, quam Jason Maynus, qui non contentus Ludovici XII Galliarum regis munificentia, à quo & stipendio annuo mille coronatorum, & toga inaurata cohonestatus erat, galerum quoque, quem vocant, cardinalitium concupivit. Interrogatus enim à rege, qui magno comitatu recitationi ejus solenni interfuerat; cur cælebs ætatem degeret, ac non ducta conjuge partum scientia decus in posteros transferret? perfricta fronte improbulè respondit: idcirco id à se factum esse, ut quandoque regis intercessione sacram illam infulam impetrare posset. O turpem ambitum! O deformes blanditias, & planè attritis miserabiles labellis? Usque adeò nihil erat, quod regi placeres, quod limina populus, academiam lectissima juventus tereret, nisi etiam sacerrimo filamine caput cinctum gereres? Quanto te non solùm Alciatus, sed & Franciscus Hotomannus major, qui fortunæ ridentis crepitacula, & splendidam aulæ Gallicæ servitutem tam fortiter sprevit, ut exul & extorris in Rauracorum finibus consenescere, quàm Lutetię inter primores viros censeri mallet: identidem in ore versans vetus illud viri fortissimi dictum: *Habeamus aquam : habeamus polentam : cum Iove ipso*

ipſo de felicitate certabimus. Udalricus quoq; Zaſius, lumen illud Germaniæ, tametſi à multis viris principibus auro oppugnaretur, ea tamen animi moderatione, & continentia fuit, ut ſpreto omni honoris & opum incremento, in ludo ſuo Friburgenſi emori, quàm in aula & purpurâ ſervitutem ſervire maluerit. Nam ſi libertas lepida viſa eſt, quod nunquam pedem in navem una cum Hercule inferre voluerit: quanto lepidior nobis videri debet, quod nunquam inter moriones & paraſitos in aulam penetrare ſuſtinuerit. Quid Renatum Choppinum memorem, virum non patrii duntaxat, ſed & peregrini juris peritiſſimum, magnumque: alpha togatorum Gallorum: quem victuris chartis intentum, cum affines & amici à ſtylo ad vocis quæſtum retrahere conarentur, non ſolùm non obtemperavit eorum cupiditatibus, ſed & intentius in inſtituti lucubrationibus perrexit. Quid Carolum illum Molinæum, ſummi judicii, laboris atque diligentiæ virum: qui licet videret, ingrata ſibi ſtudia fuiſſe, magno tamen animo, altoque ſpiritu, nominis immortalitati opes poſthabendas cenſuit. Certus enim erat, vir malarum artium inſolens, non eſſe computandum quid ſtudia referant, ſed fru-

ctum

ctum ex animo & contemplatione metiendum. Nec minor Petri Pithœi probitas fuit, qui ut animum à lucri cupiditate alienum ostènderet, non nisi rarò, & quod elaboratum esset, consulentibus respondebat: honoris magis sui & existimationis, quam quæstus curam gerens. Lucrum verò, si quod festis diebus fortè obtigisset, id egentibus universum distribuebat. Multum profectò diffidens ab eorum cupiditate, qui dum quæstum quæstu cumulare student, subita & cruda responsa in forum propellunt, magnaque festinatione à caussis ad causas transilire solent, in quo non possunt non vehementer offendere: nam aut perfidiam in receptis, aut negligentiam in susceptis rebus suam ipsi produnt: nec animadvertunt, non quod multum est, bonum esse: sed multum esse, quod bonum est. Verùm ut contraria juxta se posita magis elucescant atque emineant, age mi *Heemskercki*, ex adverso jam intuere turpem frontem, & deformia ora eorum, qui dum lucro avidius inhiant, & sanctissimas leges cupiditatibus suis servire postulant, aut pœnam scelerum ultricem, aut ęternam nominis infamiam cõsecuti sunt Illuc sis vide, quanta seculi invidia, quibus famę conviciis Tribonianus noster

noſter laceretur: à quo non avari hominis genius vapulet: qui auri dira fame ſtimulatus leges pretio vendere, ac pro arbitrio eorum qui largiebantur, figere atque refigere non erubuit. Quam fœdus Angeli Aretini exitus fuit, qui licet eſſet magna in foro, & apud latrunculatores auctoritate, adeò ut in criminalibus cauſis auriga optimus vulgo vocaretur: partam tamen juris ſcientia famam crimine ſordido perdidit. Cum enim auro corruptus venalem ſententiam pronuntiaſſet, carceri mancipatus, capitis cauſam dixit, ac niſi ſuffragiis celeberrimorum Italiæ Juriſperitorum abſolutus eſſet, gladio noxiam cervicem præbiturus erat. Quam porrò deformis Andreæ Siculi ingluvies fuit, quem gloriari non puduit, ex uno conſilio, quo fratrum filios in ſtirpes ſuccedere reſponderat, plus triginta ducatos ſe emunxiſſe. Egregiam verò laudem, & opima avari hominis ſpolia! dignus ſcilicet, ob tam præclarum facinus, non eculeo, ſed ſtatua: non carcere ſed Prytaneo. Modeſtior ſanè hac parte idem ille Jaſon fuit: qui quanquam multum à conſulentibus acciperet, hac tamen id lege & fiducia faciebat, ut ſi contra judicatum eſſet, condicere victi data ob cauſam victoriæ poſſent. Nam qui ante eum de jure reſpon-

ſpondebant, binis, ternis, ſummum quaternis aureolis honorabantur: primus Jaſon quinquagenos, centenos & amplius à clientibus exegit, minuente invidiam ea, quam diximus, pactione atque lege. Verùm nullius, quod quidem ſciam, major atque abjectior vilitas, quam Angeli Raji, JCti. Neapolitani fuit: qui cum oblatam à cliente pecuniam argento mutari juſſiſſet, atque interim cliens cum adverſario tranſigere, quam ab advocato ſuo expilari maluiſſet, palo graviter ab ancilla verberari ſe juſſit: dignus enim ſibi fuſtuario ſupplicio videbatur, quod pecuniam, dum caleret, accipere diſtuliſſet. O ſordes hominis turpiſſimas! O cupiditatem fœdam & inſatiabilem! fuſtibuſne quenquam tergum præbere, quod conditione acquirendi uſus non fuerit? Ubi, ubi eſtis validi valdè virgatores, qui pendentes verberare ad necem ſoletis. Cædatur loris liber Angelus Rajus: eja, quid ſtatis? feriatur fortiter! ſtridulum illud & flebile, tax, ſax, edatur in tergo ejus: nihil enim in illo feriendo detrimenti fieri poteſt, qui raùduſculo ſe vitam, & libertatem ſuam addicere non erubuit. Has civitatis peſtes, hæc reipublicæ ulcera, quis non cane pejus & angue oderit? quis non ad occurſum eorum exclamet, fures! fures!

res! quis autem non Corneum unum, aut Fulgosum centenis aliquot Rajis anteponat? Illi enim virtute & abstinentia laudẽ sibi: hi sordibus suis dedecus æternum & infamiam invenerunt. Quapropter, præstantissime Candidate, si tibi vita, si fama atque gloria curæ est, cave tu Aretinis potius quam Molinæis similior esse exoptes. Si exemplar, si speculum tibi Platonis expetis, cave tu Rajos potius & Siculos, quàm Alciatos, Hotomannos, Pithœos intueare: nosti enim exempla nisi à probatissimis, sumi non oportere: nisi forte statuarum artifices plus prudentiæ habere credis; qui cum primulum fingere occipiunt, non obscœnum aliquem hortorum custodem, rudi villici manu male dolatum: sed Jovem Phidiæ, aut Vulcanum Alcamenis, aut Venerem Praxitelis, aut canonem Lysippi imitari solent. Quanquam quid ego exemplis congerendis diutius immoror, aut quid foris canonem quæro, quem domi habeas. Vides inter necessitudines tuas admirabili virtute & fortitudine virum *Iacobum ab Heemskercke*. Domitor ille Iberiæ, magnusque freti Gaditani terror, non auri, sed gloriæ cupidine ardens, Herculeo ausu ingentes Hispanorum cercuros celocibus suis depressit, Mauroque sanguine

guine & cadaveribus hoſtile complevit littus. Bellicum quidem hujus decus eſt, ſed neque bello, neque pace inclareſcere poſſis, niſi eandem quam ille virtutis & abſtinentiæ ſemitam calcaveris. Vides præterea inter eos, qui honoris tui cauſa proceſſerunt, veneranda canicie avum tuum: qui quanquam ſacris & religione a nobis diſſidet, ea tamen religione, fide, æquitate, abſtinentia eſt, ut non alterius magis, quam hujus conſiliis incluta civitas uſa fuerit. In hunc intuens, probum vitæ tuæ canonem habebis. Ab hujus ore pendens, ubi audieris illa: Hoc facito: Hoc fugito: Hoc laudi eſt: Hoc vitio datur: cave, tibi magis placuerint cerdonum dicta: Da mihi: atque, Affer mihi: & Accipe dum calet: dum recens eſt &c: Hæc enim certa morum tabes eſt: hic hoſtis virtutis juratus & inexorabilis, quem ubi ſemel intra muros, id eſt, pectus tuum admiſeris, non eſt quod a victo modũ accepturũ ſperes. Sẽties dehinc, ſed magno tuo cum malo, nullum officium, nullam neceſſitudinem tam ſanctam & ſolennẽ eſſe, quam non avaritia cõminuere atque violare ſoleat. Neq; verò circa auri duntaxat & pecuniarum ſtudium abſtinentiam tuã probabis: verum etiam crapulã, quantũ potes, fugere atq; averſari debes. Jã pri-

dem isthæc pestis causidicos invasit, ut nisi potos fari & sapere non posse existiment. Itaque plura jam vadimonia ad œnopolam, quam ad prætorem fiunt. Ibi scribere, ibi cavere, atque transigere negotia volunt. Tunc rogante cliente: Dic, Hegio! repentè exclamat Cratinus: Heus puer! jam diu factum est quum bibi. bibitur. poscit matulam Cæditius. tum Crito, res, inquit, magna est: ego amplius deliberandum censeo. Turgente cliente, comperendinationem fieri caupo jubet. Quid multis? post mille tædia, mille moras, quicquid irarum in taberna conceptum est, in infelicis litigatoris caput effunditur. Atque hæc cum pessimo fiant exemplo, tamen jure defendere homines siticulosi volunt, multis Poëtarum testimoniis adductis. Proinde, quasi vitia umbone peccantium excusentur: aut latro furem, peculator sacrilegum, mœchus lenonem defendere possit. Adhæc, quasi nihil inter Poëtam & Jurisperitum intersit: quasi qui furor in vate laudatur, is idem in oratore excusandus sit. Scripserint sanè pervenusta ebrii Alcæus, Æschylus & Aristophanes. Nunquam nisi potus prosilierit ad arma dicenda pater Ennius. Satur fuerit Horatius, cum exclamat Ohe, Ohe. Potuerit nihil sobrius

brius Martialis, cum bibenti succurrerent quindecim Poëtæ. Quid id ad Jurisconsultum? quid ad patronum attinet, quorum à vatibus & thyrso secta toto cœlo discrepat? Illi campum: hi forum amant. Nemora illi & fontes: hi prætoria & urbes colunt. Secessu illi & otio: hi turba & negotio gaudent. Illis ebriæ noctes ducuntur: his sol occasus suprema tempestas est. Illis in lucem dormire licet: hos sub Galli cantum consultor excitat. Postremò, si arbitros hujus rei capere Poetas libet, adeo forum sobrios amat, ut ipsi illi vates siccorum nomine Jurisperitos designaverint. Nec ullo sane modo fieri potest, ut aut in studio civili, aut in causis orandis excellant; qui mētis calorem vino obruunt, nec lege frugalitatis teneri volunt. Nam ut milites ebrii nullo negotio in acie funduntur: ita in foro & disputatione madens vino orator exiguo molimine prosternitur. Quis enim nescit urbana illa militia quam sit laboriosa: quam sollicitudinis ac stomachi plenissima: ut scribendum, ut respondendum cotidiè sit, tum autem multorū stultitia perpetiēda, multorum arrogantia peferenda est. Surgendum de nocte, ut ante lucem consultorem dimittas: postremò ad alienum arbitrium vivendum, non tuum. Hæc non

ebrii, sed sobrii hominis officia sunt: qui levi somno recreatus, ad stylum & tabulas cum sole & die redire possit. Quo magis mirari Francisci Balduini rationem cogor; qui inter omina futurę magnitudinis scyphum Cæsaris à se puero constanter exhaustum, numerasse videtur. Illo nimirum poculo arcem legitimæ scientiæ, & præcipuum inter prudentes Christianos nomen portendi sibi ratus. Digna videlicet res novis annalibus, quæque in vitis virorum illustrium à Massono referretur. O quantum eruditorum in popinis latet, quos magnos calices fortiter siccantes invidia temporum famæ subtrahit. Speret jam melius Cicero pater de filio tricongio, si Balduino tantilla congii partio ad incrementa profuit. Scilicet, hic virtutis index est? Hoc famæ lætioris omen & augurium? Ergo inter illustres viros nobis plagiarius erit, familiamq; in jure ducet Ecebolius? Tūc ego te Massone insanisse credo, cum in eodem fastigio Atrebatem cū Tholosate collocare non puduit. Cujaci, inquit; Balduinus hic jacet. Hoc tecum reputa, & vale. Mortuis vobis Jurisprudētiā gravis corripiet sopor. Quasi vero nihil inter viburna & cupressos intersit: quasi fraxini gloriam humiles genistæ æquent, ancepsq; inter algam & oleam de proce-

ritate

ritate contétio fit. Verùm, ut ab omine ad amphoram redeam, si siccis omnia dura sunt, & vinum armare causidicos debet, quid de lucerna juris Bartolo dicemus, qui pané ad pondus, aquam ad mensuram sumsisse dicitur? Quid de Fräcisco Hotomanno, qui sola virtutis possessione contétus, lymphas suas & polentam vel Jovis nectari & ambrosiæ præponere non erubuit? Quid auté de Tholosate nostro, qué ad illud famæ & eruditionis culmen, non proclive voluptatis iter, sed asper & sentibus horridus clivus, & ut ipse ait, usus, longa meditatio, & in veste sudata obfirmatus animus deduxit? Stulta videlicet & misera diligentia fuit, cũ otio, & boletis, & rubello pinguescere possis, continuato literato labore, corpori habitudinem detrahere, succum exsorbere, gratiam oris & colorem detergere. Non, non est profectò, quod tantos viros capitis accusemus, tanquam prodigi vitæ, & sui parricidæ extiterint. Quisquis in aliquo studio magnus haberi vult, frugalitate & abstinentia proficere debet. Tanti interest, utrum plus vini an olei cotidiè in tabulas referas. Sexcentos in eum finem excitare testes poterá: verùm neque soli face opus est, neque fas est, mi *Heemskercki*, vota tua meaque diutius morari. Itaq; vela oratio-

nis contraham, & ad reliqua hujus sacri peragenda properabo. Quod superest, enixis te precibus oro & obtestor, ut abstinentiam & frugalitatem omnibus modis tibi commendatam habeas, itaque existimes, eos, qui hanc nobis, qua utimur, jurisprudentiam reliquerunt, non madidos, sed siccos viros extitisse, quibus vita innocenter atque sobriè transacta, decus immortale, reipublicæ magnum salutis incrementum præbuit. Horum tu vestigia legens, ebrium ac petulans Tarentum suo, id est, malo genio relinques. Quod si ita, uti præcipimus, feceris, omnes boni benè scitèque à te factum arbitrabimur.



ANTONII MATTHÆI

ORATIO XII.

IN

CARMELITAM.

Recitata 28. Septemb. M. DC. XLVII.

Cum SIMONEM à VELSEN.

Summis in Vtroque Iure honoribus ornaret.

SI unquam dicenti favor vester adjumento fuit, tum ut hodie dicturo mihi præsidio sit, enixè oro atque obsecro. Rem enim novam & insolétem facturus sum, ut quibus in subselliis togatos hactenus spectare consuevistis, iis nunc cucullatum intueamini. Carmelita is est, quem dixi: si gentem exigas Gallus: si ætatem, puer: si mores improbus: si exitum miserabilis. Ingenio feroci natus anachoreta, cum necdum ex ephebis excessisset, atque inter æquales forte luderet, cultellum manu tenens pauca de occidendo rege verba fecerat. Raptus est illicò ad

magni consilii judices, variantibusque diu in confinio severitatis & clementiæ sententiis, tandem turpi suspendio addictus est. Hujus spiritum utrum jure an injuria laqueus carnificis eliserit, vestra æquitate subnixus paucis putare constitui. Adeste igitur animis, qui adestis corporibus, positoque odio, amore invidia solam religionem in consilium adhiberi patiamini. Equidem cum ætatem aspicimus, cum linguæ temeritatem, & inanes damnati minas, crudele magis quam severum hoc judicium existimari poterat. Prætextati annos vix duodecim nati, quod tantum scelus cogitari potuit, ut esset ultimo supplicio vindicandum? Nam cum in universum adolescentes impetu magis quam proposito peccent, tum inprimis impuberis is plerumque stupor est, ea consilii inopia, vix ut culpæ, nedum doli mali capax sit. Quicquid ille designat, sive alienum quid tollat, sive parentes cædat, aut sacris cupidas manus inferat, id eum nescientem facere sapientes dictitant. Nocere quidem potest ut ferrum, ut lapis, ut tegula: injuriam vero facere non potest; quia nulla est injuria, nisi à consilio, atque ab animo inferentis profecta. Ubi igitur damnati crimen? ubi capital infelicis pueri,

pueri, quod ſine dolo malo admitti leges negant? Nonne etiam qui veſticipes jam habentur, atque fraudis capitalis capaces, tamen ſiquid gravius admiſerint, ætatis commiſeratione mitius plecti ſolent; nec laqueo ſtrangulatur, cui emendando ferula par eſſe poterat: nec juſſu proconſulis lictor lege agit, ubi vox, nutus, virga magiſtri flagitantur? Quod ſi ab ætate ad crimen tranſire lubet, quæſo, quæ fuit illa tam gravis bullati noxa, tam deteſtandum ſcelus, ut ſcelus alterum judices putarent non graviter in reum animadvertiſſe: Num cum hoſtibus ille conſilia communicaverat? Num ferrum adegerat in viſcera principis, aut in perniciem reipublicæ certo indice conjuraverat? Nihil horum: nihil miſer aut auſus, aut potuit: linguæ lubricum in crimen vocatur, hominiſque infirmiſſimi minæ morte piandum nefas ſunt. Cultrum enim manu tenens, ac Brutum, neſcio quem, aut Collatinum ſomnians Jacobitæ illius factum renovare ſe poſſe dixerat, qui Henricum Tertium ad Clodovei pagum immani parricidio extinxerat. Scilicet atroces valdè minæ & plena præſentis exitii denuntiatio, quæ niſi morte vin-

dicetur, actum de salute regis regnique fuerit. Quis nescit, quo quis infirmior est, eo graviora plerumque minari solere, ac Manlios ferme Cassiosque loqui, qui ad speculum Othonis & Galbæ ornari solent? Quid, quod ne virorum quidem minas omnes & maledicta leges vindicent: multa dissimulant, alia contemnunt, quædam comminatione potius quàm pœna digna judicant. Etenim si ex levitate processerint, contemtu: sin ex insania, commiseratione: quod si ab injuria profecta sint, venia digna pronunciant. Nulla autem harum causarum sceleri virorum ita obtendi potest, quin vel maximè lasciviæ puerili excusandæ atque defendendæ idonea sit. Nam si contemnenda, quæ ab animi levitate promanant, quid puero levius? Si commiseratione digna quę insani delinquunt, nonne tota fere adolescentia cujusque inter stultitiæ & furoris confinia transigitur? Quod si vero ab injuria profecta, venia tamen digna censentur: quanto magis veniam meretur petulantia ejus ętatis, in quam vix injuriæ, nedum formidabile criminis verbum cadit. Quanquam ne petulantia quidem dici posse videtur; si puero, qui rex erat, tyrannus visus est: querela ea fuit; & temporum obtrecta-

obtrectatio, ab infirmitate animi & errore profecta. Eſt enim natura ita comparatum, ut invalidum omne querulum ſit, viriumque vacivi loquaces potius, quam pugnaces deprehendantur. Hæc atque hujus generis multa ſcio obtendi poſſe ab iis, qui inſidioſa oratione clementiæ laudem affectant magis quam aſſequuntur, pravoque ſtudio ſuprema exagitant, & in hominibus impiis ſceleris obliti de pœnæ acerbitate queruntur. Verum ſi jugulum hujus cauſæ ſtrictiore premamus nervo, & amota invidiæ nebula coruſcum veritatis objecerimus jubar, facile apparebit, noxiam eſſe lenitatem, quæ vitam ſcelerati reipublicæ ſaluti anteponit. Primùm enim non omnis impubes dolo caret; nec omnia abſque dolo perpetrata diſſimulanda: eſt & culpa quædam exemplo gravis: & quædam ab indole prava profecta divinatione futuri gravius animadvertuntur. Poſtremò non leve, ſed atrox ab hoc puero admiſſum ſcelus: & illo quidem tempore, quo tot modis contemta, toties læſa ac proculcata majeſtas quovis terrore è manibus ſicariorum erat aſſerenda. Has ego mihi defenſionis partes præſcribo, extra quas ut pedem ponam, neque temporis modus, neque ampliſſimi conſeſſus

reverentia permittit. Itaque nec locum illum vulgatiſſimum de rerum judicatarum auctoritate attingam, ſed demonſtratis iis, quæ dixi, perorabo. Primùm non omnem impuberem doli incapacem eſſe, cum jure civili planè perſcriptū eſt; tum ratio atq; experientia confirmat. Ætatem enim illam pupillarem in tres partes civilis ſapientia dividit: quarum primam, quæ ſeptênio abſolvitur, infantiam nuncupamus: quæ hanc excipit, infantiæ proxima dicitur: tertia prioribus robuſtior, proxima pubertati. Ex his infantes quidem & infantię proximos ab omni accuſationis periculo conſilii innocētia tuetur; nec enim intelligunt, quod agunt: at qui proximi pubertati ſunt, non ſolùm intelligere, & ratiocinari; ſed & prurire, & iraſci, & odiſſe, & vindictam meditari experimur. Qua re fit, ut hirquitalli iſti non ſolum in venereis flagitiis, ad quę fervore quodam naturę maximè proni ſunt; verū etiā in iis ſceleribus deprehendantur, quę ab ira, odio, avaritia proficiſci ſolent. Hujus ætatis puer ille eſt, quem cupiditas & affectus ita ducunt, agunt, rapiunt, ut non ſine cauſa naturę illud miraculum Ariſtoteles quavis beſtia intractabiliorē eſſe dixerit: Ut ſapientiſſimus Plato non ſolum acerrimum, & petulantiſſimū, ſed & inſidio-

diosissimum omnium animaliũ judicarit. Quid enim? non puer Hercules fuit, cum Athenis quinquaginta Thespii filias virgines stupro polluit? Non puer noster anachoreta anno minor, qui, si qua Hieronymo fides incesta nutricis consuetudine volutatus tam monstrosum ætatis cõpendium fecit, ut pater ante fieret, quam per leges maritus esse posset. Quartilla autem infame illud Petronii scortum nonne suamet ipsa voce profitetur, cũ ętatis suę memoriam recordaretur ultimam, incertos sibi & incognitos esse virginitatis annos; infantem enim cum paribus inquinatam, & procedẽte ævo majoribus se pueris applicuisse. Mitto ista quæ libidinis sunt; ad quam, ut dixi, vel maximè fertur puer in flexu ætatis constitutus. Iræ, odii, avaritiæ argumenta si desideramus; puer utiq; fuit, qui laminã ex Dianæ corona auream sustulit; cumque judices sententiæ incerti, talos, crepundia, & illud funestũ aurum obtulissent, gnarus ille, quid æra lupinis distent, aurum sibi præ crepundiis expetendum judicavit. Quid Alcibiades? num puero major, cũ Pericli auctor fuit, ut excitato periculosissimo bello Peloponnesiaco, sibi quidem impunitatem conturbatarum rationum, patriæ vero funera & extremam orbitatem quæreret? Quid

Hannibal? qua ætate fuit, cum adigente patre, altaria manu tenens, in excidium Romanæ gentis juravit? Qua ætate M. Cato, cum de occidendo sub specie salutationis P. Cornelio Sulla præceps consilium iniit? Quantulo autem puero Manlius adolescens major, cum legibus fraudem facere, strictoque pugione Tribunum plebis accusationem patris ejerare coëgit? Atque ut ne ex peregrino duntaxat orbe præsidia hujus causæ petiisse videamur, vidit ipsa quoque Gallia prætextatos Cornelia de sicariis, Julia de sacrilegiis, legibus aliis causam dicentes: nec vidit duntaxat, sed & damnavit. Ex his quidam vix puer primùm adversus parentes se impiavit: dein profugus domo herumque senem nactus concubinam ejus furtiva Venere polluit: ad extremum etiam in bona morientis, exclusis legitimis heredibus, per fraudem invasit. Alius quidam annos XI. natus, puellam ictu lapidis peremit, scelerisque sibi conscius, & gladium ultorem metuens, cadaver, qua poterat, occuluit: nec quicquam patrocinante ętate ad furcam damnatus. Duo alii sacrilegii convicti, qui vasa sacra è templo sustulerant, eaque, ne signis proderentur, scelesto marculo comminuta venundederant: cęsi ob id bis per

compi-

compita virgis: toties spectaculo plebi fuere, sola interula linea tecti, & restim collo, tædam lucentem manu gestantes, Dei hominumque misericordiam supplices imploravere. Aqua me deficiat, si omnia ætatis hujus crimina colligere, & excussis non dicam historicorum, sed ut semibarbare loquar arestographorum arculis enarrare velim. Etiam quæ adduxi pauca facile fidem facient, non omnes impuberes doli incapaces esse: calliditatem quandam ad circumveniendum alios paratam. Quę calliditas cum in pueris cujuscunque cœli ac soli reperitur, tum vel inprimis in Gallorum pueris reperiri necesse est; à quibus etiam Italos præcocitate ingenii superari curiosa quorundam observatio asserit. Verumenimverò, largiamur aliquid cucullato: fingamus non dolo sed culpa, non malitia sed infirmitate peccatum esse: num propterea legum laqueos ille effugiat; absitque pœna, quotiescunque dolus & propositum nocendi abfuerit? Minimè gentium! est & culpa quædam ita aspectu gravis, ita exemplo perniciosa, ut acrioribus stimulis & majore cruciatu necessario sit circumdanda. Nam si poculum abortionis vel amoris propinatum sit, tametsi dolo malo factum non sit, tamen quia res pessimi exempli

empli eſt, ultimo ſupplicio vindicatur. In acie verò, ſi aut miles arma abjecerit, aut locum hoſti ceſſerit, tametſi ignavia magis & metu, quam proditione, fuſtuario tamen ſupplicio necatur. Quod quanquam prima ſpecie durum videtur, nec parum ex iniquo trahere, ſalute tamen publica & utilitate defenditur. Summo enim diſcrimine, & certiſſima civitatis pernicie, aut locus hoſti ceditur, aut ordines in acie deſeruntur, aut ſpes & ſeges populi futuri in herba necatur. Salus autẽ populi ſuprema civitatis lex eſſe debet: qua flagitante non ſolum in eodem gradu pœnę modus intendi, ſed & ſuperatis gradibus ad ultima ſupplicia tranſiri poteſt. Quid quod quidam ſola quaſi divinatione in crucem acti, dum indolem judices ſpectant, & patriæ quandoq; exitio futuram ominantur. Hac ratione impulſi ſapientiſſimi illi Athenienſium judices puerum coturnicũ oculos eruentem morte mulctarunt; quod ſanguinariũ ejus ingenium quandoque in civium cędes & perniciem erupturum crederent. Auguſtus autem Poſtumum Agrippam nepotem unicum, quanquam nullius dum flagitii ſibi conſcium, in Planaſiam inſulam projecit, quod vereretur, ne adoleſcens bonarum artium rudis, & robore corporis ſtolidè

ferox,

ferox, imperio admotus regnum vixdum ſorte firmatum ruſticitate everteret. Et ſanè, quemadmodum in rectis & excellentibus ingeniis nihil quod ad ultimum ſui finem perventurum eſt, non & maturè & celeriter incipit: ita etiam in pravis concepta improbitas maturè ſuis quibuſdam ſignis & indiciis deprehenditur. Nec enim ignotum, qua ætate fuerit C. Julius Cæſar, cum multos in eo Marios obſervaret Sylla. Quot annos habuerit Alcibiades, cum Athenis Atticis exitio futurum divinaret oſor ille hominũ Timon. Et Tiberii, Caligulæ, Neronis, Domitiani ſãguinaria ingenia in pueris nequicquã execrati ſũt magiſtri. Qui poſtea rerũ potentes tanta cum generis humani regnarunt pernicie, ut nemo ſit, qui nõ fateatur, optimũ fuiſſe hos non naſci: natos, ſtatim mori. In hoc autem puero quam tandem putabimus fuiſſe indolẽ, quos mores, quę conſilia, qui annos non plus XII. natus de republica queritur, & iniquus juris diſceptator legitimum regni heredem tanquam victimam ſicæ deſtinat? Profectò, niſi vehementer fallor, auditores, non ſolum protervo & petulanti ingenio fuit, ſed & animo ita crudeli, ita immani, ut ſanguine potius humano, quam lacte materno nutritus videatur. Quid enim?

enim? num mediocris ingenii & mansueti pectoris est à ferulis transire ad sceptra, à talis ad tænias, à nucibus ad neces & jugula imperatorum? frustra profectò infirmitatem ætatis obtendas: præcox hujus animo perfidia hæsit, qui non ante servuli alicujus aut collusoris cæde manus imbuit, quàm trucidandi regis partes sibi sumat. Solet enim improbitas eniti per certos gradus; & ne in magnis quandoque trepidet audacia, aliquandiu vires in minoribus colligit. Hujus verò tam citò adolevit audacia, ut ante in summo constiterit, quam progressum esse quisquam animadverteret. Puero illi Crateri non dissimilis, cujus tam velox ævum memoratur, ut eodem septennio & pusio fuerit, & adolescens, & vir, & senex, & maritus, & pater. Ita hic noster brevi illo ætatis mimo, & petulantis, & verberonis, & sicarii, & parricidæ, & furciferi partibus defunctus videtur. Perquàm sanè pravam hominis indolem fuisse, vel ex eo animadvertere possumus, quod non in convivio, non in taberna, non in circulo isthæc ausus sit, sed in solitudine illa, in quam qui secedunt, & mundo valedicunt, & terrestria exosi, soli cœlo intentos se profitentur. Habeat protervitas in aliis locis mediocrem reprehensionem:

in secessu verò illo, quem Deo consecracratum ipse contendis, in quo verbis parcere, animum componere, mentem tacitam custodire debes, rugire velut in cavea, & votis absentes trucidare principes, nullo modo est ferendum. Cumque in universum cum professione tua pugnet seculi cura; tum vel inprimis cum ea secta cui initiatus es, quæque à Carmelo monte nomen habet, pugnat partium studium, & in reges conjuratæ factionis amor. An nescis, cum prçcessores tui pallium versicolor ex albo & canusino gestarent, Honorium Pontificem religione tactum discordiam illam coloris albo mutasse, ut discerent, siqui essent ferocioris spiritus, nihil purpuram ad cucullatos attinere: candoris multum, non ostri religiosis possidendum. Tibi verò adeò candoris & mansuetudinis expers pectus fuit, ut vel regio cruore vestem tingere, quam à purpura impias manus abstinere malles. Tenuerunt auctores ordinis vestri eam disciplinæ rationem, ut siquis frater paulo commotior in convitia, in rixam exarsisset: si adversus antistitem contumacia, adversus interdictum cupiditate rerum minus necessariarum peccasset, inter atrocia delicta numerarent, plagis vel deportatione vindicanda. Tu

verò

verò ad regnum turbandum non iracundiam solùm & contumaciam, sed & perfidiam & crudelitatem attulisti: nec adversus magistratum procacia; sed adversus legitimum regem, optimum principem, fortissimum Imperatorem rebellione te impiasti. Ah quam dissimilis aliis tui gregis symmystis: inter quos si ętate quod rectum erat minus previdebas, eximium vestri gregis virum Thomam Bellamicum consuluisses, qui eodem illo efferato seculo, cum lituis & armis universæ perstreperent Galliæ publico asseruerat scripto; *ne religionem quidem justam rebellandi causam esse: non minus haeretico atque orthodoxo principi promtum obsequium deberi: ejusque violatoribus divinæ simul & humanæ majestatis reis præter securim æternos quoque cruciatus formidandos.* Hujus tu viri sapientissimi monitis si obtemperasses, nunquam profectò caput tuum tanto scelere obligasses. Nunc cum neque religio, neque fides, nec septus armatis cohortibus princeps ferociam illã mẽtis expectorare potuerint, facile existimari potest, quo ingenio, qua indole fueris præditus, quid in omni reliqua vita fuerit à te expectandum. Nempè, facẽ te patriæ pepererat mater, quã ingẽs cõflagaret Ilium, peremtoq; Hectore servitutẽ Poenis servirent Trojugenæ nobilissimi. Verum enim

enimverò adhuc audire mihi videor. A-
qui ætaté miserantur, qui omen ad pœnā
sufficere negant: ferula potius quam furca
miselli temeritatem castigaturi. Quibus ut
satisfaciam, etiam atque etiam contendo,
ut amota ętatis invidia, crimen ipsum an-
te judicum oculos destituant: quod si lon-
gè gravississimum deprehenderimus, ni-
hil supererit causæ, quamobrem judices
selectos malè pronuntiando litem suam
fecisse queramur. Crimen cujusmodi in
judicium deduxit accusator? Puer, Audi-
tores, puer religiosus minatus est mor-
tem regi Francorum. Atrox profectò &
nefarium facinus, minari cędem nondum
virum: minari religiosum: minari regi? Si
discipulus interminetur pręceptori, si fili-
us parenti, nonne culeo insutus cum ca-
ne & vipera in proximum mare præcipi-
tandus videtur, ut cælum superstiti, terra
mortuo eripiatur. Quanto ergò gravius &
atrocius judicandum, si puer patri patriæ
interminetur, si cucullatus immineat sa-
cro illi venerandoque corpori, pro cujus
incolumitate non modo vota concipi-
mus, sed & opes & vitam ipsam devove-
mus? Vtenim pietas parētibus debita non
solùm nefaria manu, sed & verbis & vultu
solo læditur: ita quoque obsequiū princi-
pi debitū non vi & armis dūtaxat, verùm
etiam

etiam maledicto, & contumacia, & consilio scelesto violatur. Ac licet in plerisque legibus perfectum crimen non conatus ultimo supplicio vindicetur, in atrocissimis tamen, quale citra controversiam majestatis crimen est, sufficit ad pœnam meditatio. Est enim, ut sapientes docent, majestas imperii reip. tutela: cujus sacrosanctam & intemeratã venerationẽ esse perquam interest, quippe cum ad exemplum pertineat, & communem omnium causam, non impunè contemni eum, qui in terris Dei vice fungitur: qui vitæ cujusque & necis arbiter est, cujus jussu & nutu tot millia gladiorum stringuntur. Itaque quemadmodum apud medicos nulla dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est: sic in curandis reipublicæ malis non debet crudele videri, ultima supplicia sceleribus ultimis poni, nec solùm eum perire qui facto, sed & qui dicto majestatem læserit. Ac nullius quidem criminis facile danda impunitas, tum inprimis si adversus rempublicam quid sit commissum, nullo modo id dissimulandum. Non enim ibi consistunt exempla unde cœperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latius evagantur: & ubi semel à recto deerratum est, in præceps ruitur. Quare si usquam verum

verum in maleficiis etiam cogitata ſcelera puniri, cruentâ mente, purâ manu, in cauſa profectò majeſtatis veriſſimum eſt; nec legibus duntaxat conſtitutum, verum etiam communi gentium conſenſu comprobatum. Poſtremò, ut maximè etiam in majeſtatis cauſa ignoſci potuiſſet, id tamen tempus, ea regni conditio fuit, ut omninò è re Gallorum fuerit, pulſatam à puero legitimi regis magnitudinem ultimo ſupplicio vindicari. Annus agebatur, A. ſupra milleſſimum quingenteſimum nonageſimus primus, cum hic reus in judicium adductus eſt: tempore, ſi quod aliud, univerſæ Galliæ maximè luctuoſo & exitiabili. Quis enim neſcit, ea tempeſtate Pontificem Romanum eccleſiis, Hiſpanos Guiſioſque regno Francorum inſidias tetendiſſe: utriſque Palladium illud gentis Salicam legem, quod immenſæ ipſorum ambitioni obſtare videretur, omnibus modis extinctam atque ſepultam cupientibus? Nec deerat vaſtæ cupiditati ſpecioſus religionis prætextus, cujus ſupparo tecti pleroſque in partes trahere, nutantes impellere, adverſantes opprimere ſatagebant. Jamque bello civili excitato, tanquam religio in extremo ageret, puriori addictos armis perſequi; vaſtitatem agris, ſolitudinem juven-

juventuti, periculum provinciis, ac prope exitium afferre. Inter hæc non regi minus atq; hæreticis infensi, cum pacis ille consilia bello potiora habere videretur, nec semel protervè patientiæ ejus illusum esset, tandem tondere miserum, atque in cœnobium aliquod tanquam insulam relegare decreverant. Detectis consiliis, cum rex degeneres insidias insidiis aliis ultus esset, Guisiosque indagine cinctos immissis percussoribus ad orcum misisset, non solùm præter spem & expectationem crebræ principum & civitatum defectiones secutæ sunt; verum etiam rex ipse, conducto à Lojolitis parricida, periit: eademque sica, quæ regem sustulit, tot martyrum sanguinem, & illam infamem cædibus noctem vindicavit. Itaque amplissimum regnum Rectore orbatum, instar ingentis cercuri, adversis ventis, iratoque mari huc illuc ferebatur, nihilque propius adfuit, quam ut illisa scopulis prora, Vandalorum Maurorumque sectoribus ad prædam exponeretur. Tunc omnium, qui patriam salvam volebant, & votis & precibus successor defuncto Henricus Navarrus destinabatur, unica spes populi; unicum regni præsidium; cujus virtute toties concussum, toties labefactatum, tot factioni-

bus

bus divulſum rurſus coaleſceret: qui illa ſeditionum monſtra, tanquam hydrę Lerneæ capita alia ex aliis pullulantia, Herculis viribus elideret. De hoc occidendo Carmelita noſter verba facere, hunc ſcelere & parricidio tollere cogitabat, cujus natalis niſi pereunti Galliæ illuxiſſet, dulcis libertas extremum vale Senatui Populoque Francorum dictura erat. Deſciverat ab obſequio principis non ſolùm proceres multi, & nominatim illi de quibus diximus Guiſii, quique his neceſſitudine aliqua vel beneficio obnoxii erant; verum etiam plurimæ & potentiſſimę civitates: Lugdunũ, Tholoſa, Pictavium, Maſſilia, Gratianopolis, Aurelianum, Ambiani, Rotomagum, Avaricum, Biturigum, Aquæ Sextiæ, Autricum Carnutum, aliæque aut ſuis opibus ſubnixæ, aut auctoritate ſupremarum curiarum formidatæ. Inprimis caput illud & compendium totius Galliæ Lutetia, alumna regum, pupilla principum, domicilium majeſtatis, inſigni perfidia & ingratitudine arma adverſus nutritios ſuos ſumſerat. Omnes verò hę civitates, præter minora oppida, arces atquē caſtella infinita, aut ab Hiſpanis corruptæ, aut odio purioris religionis cæcæ, in exitium ſui & patriæ ruebant. Sciebat enim vafer ille

Philippus, è Pyrenęis mõtibus tanquam è specula omniũ inhians libertati, nullam nationũ deleri funditus posse, nisi factionibus scissa se cõsumat: Esse civile odium ad perniciem præceps, ad utilitatem suæ defensionis incautum. Fatiscenti jam imperio Romanorum, nihil majus fortunam conferre potuisse, quam quod indidisset hostilibus nationibus odium sui. Itaq; his artibus divulsa & dissipata imperii mẽbra in prædã corruptoris cessura videbantur; nec erat jam in toto regno, qui brachia contra torrentem dirigere, aut impetum ruentium umbone virtutis sustinere posset. Solus supererat Navarrus, qui tantam rerum molem componere posset, qui tot prædonũ duces, tot sicariorum cohortes, tanta perduellium robora sternere: adeò Galliæ salutare sidus, & tẽpore suo necessario exoptandus soter, ut etsi neq; natura, neq; Salica lege ad regnum vocaretur, extrema tamẽ reipublicæ necessitas eum regem designare videretur. Hoc sublato cogitate quæso, A. quis miseræ Galliæ futurus fuerit status, qui civitatum motus; quæ hominum laniena, quanta agrorum vastitas, hinc improbas animo spes agitãtibus Lotaringis, inde immensam regni ambitionem callidè tegentibus Hispanis. Jampridem profectò Rhodanum Maurus

rus biberet, & in Francorum cineres mejerent Saraceni. Jam victricia lilia calcaret Astur equus, & Clodovæis Martellisq; illuderent pueri Gothorum, nisi stator ille regni ac servator, accisis Fracorum rebus ex Beneami pago tanquam ex machina subvenisset. Huic aliquis minari? de hoc occidendo verba facere audet? Nihil ergò patriæ amor, non libertas, non gloria, non salus Franciæ te commovebit? Usq; adeò nihil est, quod nascentem hoc cœlū aspexerit, reptātem hæc terra sustinuerit, ejulantem hic fundus educarit? Feræ utique amant cubilia sua, & quamvis clamore indagantium excitatæ, redeunt tamen ad lustra illa, in quibu[illegible] natæ. Soli monachi non amant lat[illegible] sua, maluntque vel terram cœlo, ignem aquis miscere, quàm sub legitimo principe pietatis claustris coërceri. Verè enim legitimus ille princeps, cui natura simul & leges regnū addixerant: in cujus verba potior nobilitatis pars jurarat: qui mirabili Dei providentia, ex ultima Aquitania evocatus, ad regem brevi periturū quasi manu ductus erat, ne quis interim suppositiius heres in tabulas irreperet, & sedē rectore vacuam per vim & fraudem occuparet. Idem regnū adeptus quanta erga victos deditosq; usus est humanitate? quanta elementia?

Gladiũ ſanè vagina vacuũ non vidit Gallia niſi in acie. Nullę proſcriptionis tabulæ:non haſta,non ſector in foro:nõ index in triclinio:non carnifex in carcere victis metuendus. Poſtremò,quicunq;hoc rerũ motu amiſſi cives ſunt, eos omnes irati Martis vis perculit,non ira victoriæ. Digniſſimum planè diceres qui vinceret:adeò reverẽter fortunam habuit, nec vicit, ut ſęviret,ſed ut ſæviendi finem victis faceret. Quapropter ſi Pop. Rom. eos execratus eſt,qui pignora cœli,delicias orbis, amores populi, Germanicum, Titum, & Severũ veneficio ferroq; ſuſtulerant:quo tandem ſupplicio, quibus diris Carmelitã noſtrum dignum judicabimus, qui Atlantum illum Galliæ fulcrũ ruentis imperii, vindicem publicæ ſecuritatis ſica præcidere voluit:Quo ſublato afflictæ longo ac difficili bello gentes, attritæ mutuis cladibus civitates, exhauſta nobilitas,amiſſa libertate neceſſariò in alterius & alienigenę ditionẽ ac poteſtatẽ erant conceſſuræ. Nõ eſt profectò,quod hic de clemẽtia verba faciamus,grãdiq;oratione lenitatis in puniendo laudes in majus celebremus: lentus in ſuo quiſq; dolore ſit; reipublicæ vero injurias cõvictis largiri,non jam clementis, ſed ſordidi & ingrati judicis eſt. Profecerit quidẽ divina virtus apud eos,

quo-

quorum pectus aliquo humanitatis sensu imbutum est: apud anchoretas verò, & totam illam Lojolitarum nationem, qui cum habitu humanitatē ipsam exuere solent, stulta est clementia deprehensis: non enim, ut olim milites in acie defēsi servatori herbā porrigere, ac tanquam parentē in omni vita observare sustinent. Impunitas his illecebra peccandi est: nec beneficiū injuriæ finē, sed novæ injuriæ causam facit. Vel hic ipse, de quo verba facimus inter exēpla heros numerari poterit. Nutantibus factionis henoticæ rebus, victor Lutetiam ingressus, cū infamem sectam Sto. facto urbe regnoq; expellere posset, mitigatus tamen precibus eorum, qui assidui ad aures ejus excubabāt, diem decreti diffindi passus est. Quid, quæso, profecit civilis regnantis animus? Quam gratiam apud venerandos patres iniit infelix imperator? Immissus ei percussor, si quis unquam, execrandus Joannes Castellus, qui velut è ludo prodiens lanista, turbæ salutantium immixtus, directo in gulam ictu incautum regem occuparet. Ac nisi stupenda Dei Opt. Max. providentia, corpore inclinato, pestifer ictus objectu maxillæ elusus esset, cecidisset Hercules ille Franciæ, amor civium, hostium terror, & domitor tot monstrorū; pro sūmo bene-

ficio maxima obſcœni gregis injuria atq; ingratitudine confoſſus. Quid memorem ſcelera illa hominum Barrerios, Crucejos, Carpentarios, Audoënos, Ridicovios, Viardotos, totamque illam parricidarum phalangem, qui alii poſt alios tandiu ſaluti maximi principis inſidiati ſunt, donec fatali illa immaniſſimi Ravillaci ſica occūberet. Certiſſimo profectò documento; implacabile furiis iſtis odium eſſe; nec ſolùm ultra metum durare, ſed ne beneficio quidem accepto obliterari poſſe. Quiſquis in id incurrerit, nō ante inviſum eſſe deſinere; quàm eſſe ipſe deſierit. Nemo igitur in hoc judicio ſordes, nemo injuriam ampliſſimi ordinis accuſare auſit, fecere illi, quod viros graves & patriæ amantes facere ęquum fuit, cum vehementi illa tēpeſtate, quæ Galliæ diu longumque incubuit, de ſalute regis anxii, nefaria hominis impiiſſimi conſilia laqueo diſturbarunt, editoq; in vulgus exemplo contemtam à viliſſimis cerdonibus majeſtatem ſuppliciorū magnitudine vindicare anniſi ſunt. Sciebant enim ſapiētiſſimi viri hujuſmodi flagitia ante conatum puniri oportere: ſerum eſſe legis auxilium implorare, poſtquam execranda conſilia ad votum parricidæ proceſſerint. Cumque invicta præliis equeſtribus nobilitas, fortiſſimæ pedi-

peditum legiones,& pugnacissima sociorum auxilia, cotidiè ferè pro regis regnique salute acie decertarent, ac quantum in se erat, sudore ac sanguine tristissimum servitutis jugum depellerent: iniquissimum foret, residem domi Senatum pandiculari, ac tanquam in pace & otio fucosam lenitatis laudem quærere, timidisque sententiis salutem regni prodere parricidis. Vultis, credo, Auditores, jam altiore voce loquar, ac verbis tandem exercitus perorem? Omnes illas, quæ circumsteterant regem legiones, florem nobilitatis, civium sociorumq; robora, una voce tum proclamasse existimate: Nemo nostrum, judices, recusat itinerum laborem, nec invisum super arma portare fascem. Ferienda sit fatigatis fossa; pro vallo portisque vigilandum: non æstivi solis ardor, non sub pellibus deformis hyems deterrebit. Fortiter ancipites inibimus pugnas, & vulnera pro republica accepta laude pensabimus. Postremò si moriendū pro libertate est, adversis pectoribus generosam virorū fortium mortem oppetemus. Vos modo, patricius sanguis, regni consilium, decora pacis, principes judiciorum, commissam vobis regis optimi salutem suffragiorum severitate defendite, ne qui foris præliamur, domi cadamus, amissoque im-

peratore, omni sudoris & victoriarum fructu per summum proditionis scelus spoliemus. Illuc este, ut reus læsæ majestatis in judicium ad vos adductus sit: ut testibus tabulisque impietatis convictus: nunc ad religionem, nunc ad exemplum pertinet, severas dici sententias, nec tam ætatis, quam reipublicæ periculo vos commoveri. Illud utique nec Aquitania parens, nec ordines hastati, & victricia lilia, nec vestra, judices, virtus & fides sinat, ut cujus incolumitatem nos sago huc usque proteximus, ei togæ perfidia sit occumbendum. Hoc si pati vos potestis, si adversus proditores calculum judicandi per ludibrium movere, potius castra capiantur, & iniquitatem statuentium præveniat gladius Hispanorum. Quicunque casus nos manet, etiamsi hostis campo pellat, & acie superatos ad internecionē deleat, satius est in vestigio pugnātes mori, quam amoto judiciorum metu conductis sicariis latus aperire. Quin pereat tota illa percussorū cohors: moriantur immanes parricidæ, & quisquis aut pars aut cōscius factionis fuerit. Hoc fides illa, hoc jurisjurandi religio à vobis postulat: hoc regis regniq; securitas vel cum convicio flagitat. Nec vos deterreat, aut partium metus, aut odium ingrati seculi. Quamlibet

bet grave supplicium pro utilitate publica irrogaveritis, id ut præsens ævum culpet, quiescente livore, extinctisque factionum studiis, grata posteritas agnoscet, laudabit, extollet.

ANTONII MATTHÆI
ORATIO XIII.
PRO
CARMELITA.
Recitata VI. Id. Februarii. M.DC. XLVIII.
Cum ADRIANO CLUYT,
Summos Iuris Vtriusque honores conferret.



Credo equidem rem absurdam multis visam, quod cum nuper dicendi partes obvenissent, relictis superis ad inferos descendere, puerumque ante annos L. damnatum ad causam dicendam excire voluerim. Verũ tanta tũ temporis vestra humanitas fuit, is sensus, ea erga me benevolentia, ut qui tunc rei judicatę autoritatem asserui, quod populare erat, non dubitẽ nunc mutata oratione pueri quoq; defensionem subire. Qua parte ne prævaricari videar, causamque judicum, quam tuẽdam susceperã proderẽ, me quiescẽte, ipse pro se dãnatus verba faciet. Is quoniã

intellexit, non satiatos supplicio suo inimicos hoc unicè agere, ut amissa vita memoria quoque post mortem damnetur, odium posteritatis hac oratione deprecari voluit. Benè atque sapienter constitutum est à majoribus, ut in dubia causa & ancipiti discrimine, Prætor quæstionis cum consilio collocutus, Non liquere, pronuntiaret. Ita enim fiebat, ut ampliata cognitione nec insontes opprimi, nec sontes perruptis legum laqueis elabi facile possent. Hoc jus si in mea causa valuisset, non condemnatus fuissem ea ætate, quæ vix pœnam, nedum crimen suum intelligit. Nunc quoniam per sortem & urnam novo conflato judicio, id agi sentio, ut jure damnatus videar, non committam, ut quisquam defensoris potius fidem, quam judicis æquitatem defuisse mihi existimet. Ac quoniam omnis accusatoris oratio his ferè partibus consumta est; ut & impuberes doli capaces ostenderet, & temeritati meæ gravissimum perduellionis crimen assueret: adhæc ea indole præditum, ea tempestate in judicium adductum, ut omninò è republica Gallorum fuerit, me quovis supplicio e medio tolli: non discedam ab ejus vestigiis, sed pede collato singula quæ sunt ab eo adducta, qua potero brevitate

con-

convellam. Primùm quidem quantum ad ætatem attinet, libenter hoc accusatori largiar: non omnem impuberem doli mali incapacem esse: esse etiam iis, qui ad pubertatem accedunt, propositum & voluntatem nocendi. Qua in re demonstranda cum ille efferret se ac dilataret, sanè & opera sua, & vestra, judices, patientia abuti mihi visus est. Quis enim aut tam imperitus, ut id nesciat? aut impudens? ut cum certo jure constitutum sit, in controversiam vocare sustineat? Quod si hoc speravit, circumvenire se religionem judicantium posse, probataque ætate doli mali capace, fore ut omnes me dolo peccasse crederent; non hæc jam oratoris virtus, sed veteratoris calliditas atque fallacia est. Non enim illud probandum accusatori erat; fuisse me ea ætate, in quam dolus malus cadit; sed dolo malo me atq; hostili animo principis majestatē violasse. Neque enim in legem perduellionis incidit, qui quoquomodo majestatem læserit; sed qui aut vitam principis, aut salutem reipublicæ nefario consilio appetierit. Tantum autem abest, ut id priore actione probatum sit, ut cōtrarium potius ex narratione actoris elucescat. Quod enim fuit tantum admissum meum, tam detestandum scelus, ut scelus alterum judices putarent,

quove quis contra remp. arma ferat; sive quis hosti Pop. Romani nũtium, literasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo, quo hostes Pop. Rom. commeatu equis, armis, cõsilio juvetur adversus remp. Sive quis milites sollicitaverit, concitaveritve, quo seditio, tumultusve adversus rempublicam fiat: &c. Quid est horum omnium, judices, quod accusator à me admissum probaverit? Ego hominibus armatis loca occupavi? Ego cœtus, conventusque contra rempublicam coegi? meâ operâ aliquis magistratus Pop. Rom. occisus est; per me hostes commeatu, equis, armis, telis, consilio adjuti sunt? Facta lex arguit: consilia dolo malo contra remp. inita reprehendit: dicta impunè sunt. Meum autem consilium factumve in judicio nullum versatur. Siquid peccavi intra linguæ temeritatem admissum stetit: virgis aut scutica, nõ laqueo expiandũ. Hic tamẽ cõstitit improbus accusator, ac tãquã ex edito loco patentẽ campo hostem calũniæ spiculis obruit. Voluntas, inquit, & cogitatio sceleris ad pœnam sufficit, tametsi pura manu, cruento tamen pectore. Itaque licet inclytus Francorũ rex nõ occubuerit impia parricidæ dextra; cõsiliũ tamẽ cædedi solũ morte piandũ nefas est. Verùm siquis unquam salvis verbis circumvenit

jestatis eum apprehendit, qui hostilia cogitavit. Hic tu, egregius scilicet juris magister verba arripis, mentis atq; sententię securus. Cogitasse me dicis hostilia; tametsi neque cultrum strinxerim; neque locum, tempus, ordinem rei gerendę prępararim, ac ne pedem quidẽ armatus posuerim extra cellam. Quod si ęquitate non verbis rem putasses, aliam profectò legislatoris deprehendisses mentẽ. Non enim eum notat, qui tantum cogitavit, sed qui ita cogitavit, ut aliquo assumto actu cogitatum crimen inchoaret. Si cujus fidem sollicitavit; si quem in conscientiam assumsit; si venenum miscuit; si arma comportavit; aut omnino quicquam eorum attigit, quæ ad executionem futuri sceleris instrui atque destinari solent. Cæterum nudę cogitationis pœnam nemo patitur: timuit enim lex ex ea re crimen facere, quæ non est in nostra potestate; quam nulla humana ope tenere, prehendere, castigare possumus: quæ non solum invitis nobis & ignorantibus, verum etiam dormientibus cotidiè obrepit. Itaque licet in philosophorum porticu fures, latrones, adulteros ex animi propositione sola designemus: in foro tamen & in judiciis fur vel adulter non est, qui nunquam rem alienam invito domino con-

contrectavit, nunquam alienam matremfamilias corrupit, tametsi ejus mentis sit, ut data occasione id videatur commissurus. Neque verò ab hac definitione excipitur uspiam majestatis crimen, quod quo gravius ac magis horrendum est, eo minus in occasionem sævitiæ habendum, alioqui nemo adeò innocens & integer vitæ erit, quin inter tot humanos errores, vel ex sola cogitatione capitis periculum adire possit. Idque ita se habere etiam ex lege majestatis nova, quæ vetere longè adstrictior atque severior putatur, elucescit. De quo enim loquitur? De eo qui cum militibus privatis vel barbaris scelestam inierit factionem, aut ipsius factionis susceperit, vel dederit sacramentum. Hic si cogitatio ad pœnam sufficit, cur factio, cur sacramentum desideratur? Num sola mentis cogitaione factio censetur? Num concepisse animo hostilia sacramentum est, tametsi neque Jovem lapidem juraveris, neque tesseram aut signum aliquod conspirationis susceperis? Nunquid igitur aliud voluntatis verbo, quam conatus, & inchoatum scelus designatur? Ego verò quid molitus sum? quæ mea fuerunt consilia? quid aut ausus, aut potui? Factionem scilicet inii, puer natus annos duodecim, qui ne animo quidem, quid factio sit,

comprehendebam. Quam sit res prærupta, ac sollicita conspiratio: quam vigilantem ea ducem, quàm fidos comites, quam tacita ac secreta desideret consilia? Ut eodem tempore & præterita colligenda, & instantia præparanda! Ubi verò locus, tẽpus, occasio rei gerendæ advenerint, ut signum dandũ: ut circumeundæ cohortes: ut cohortandi percussores ad audendum. Dici vix potest, quã multa illis providẽda sint, qui ad extremã hanc & periculosam factionis rationem descẽdunt. His autem presidiis omnibus me destitutũ, ac neque malitiæ satis ad excogitandum, neq; viriũ ad audendũ habuisse, ne accusator quidẽ, quanquam vehementer, infensus est, negare ausit. Superest ergo, cum auctor conspirationis nullo modo fuerim, ut sacramentum dedisse factioni arguar. Ne hoc quidem quisquã pro testimonio dixit, nõ tabulę, non carcer, non eculeus hanc cõfessionem expressere. Quæ autem illa factio? qui conscii, quis dux in cujus verba adactus sum? quo pręmio auctoratus? quid mihi volui? quid speravi? Maleficiorum ea est ratio, ut nemo ad ea accedat sine aliquo emolumẽto. Itaque scopulus ille reorum C. Cassius, siquem inter selectos judices sedens, lege aliqua publicorum judiciorum interrogaret, ante omnia causam admissi sceleris requirebat. Ego verò,

quid ſperare potui, quid polliceri mihi, qui cum ſeculo omnia ſeculi irritamenta, opes, honores, imperia ejuraveram? Ut res ridicula ſimul & miſeranda ſit, me tanquam factionis partem damnari, cum neque factio ulla, neque duces partium, neque cauſa conjurationis oſtendantur. Porrò quis neſcit, eos qui res novas moliuntur, hac ferè uti ratione, ut neminem in conſcientiam adhibeant, niſi quem odiſſe ſenſerint præſentem reipublicæ ſtatum. Si qui robore conſpicui, ſi audacia inſignes, ſi maleficiis infames; denique ſi perditis rebus ſalvi eſſe non poſſint, niſi bello civili excitato. Horum quoque nihil eſt, quod in meam ætatem cadat. Non luxus, non maleficiorum conſcientia, non immenſa honorum cupido præcipitem egere, ut factioni nomen darem: ac ne intererat quidem mea, qui ſeculo valedixeram, utrum Tros an Rutulus Francis imperaret. Robur verò & audacia adeò in me deſiderabantur, ut opera mea nemo dux ne pro gregario quidem milite uti vellet: quippe qui nec dum militaris ætatis eram, ac neque manibus ad pugnandum, neque linguæ ad tacendum imperare poſſem. Hæc cum ita ſint perſpicua, ut infirmari nulla ratione, nullo dicendi artificio poſſint; perſtat tamen

in

in proposito improbus accusator, ac perfricta fronte mortem me optimo fortissimoque regi minatum esse clamitat. Næ ille suo potius odio, quàm reipublicæ commodis servit, dum minas vocat linguæ lubricum, verbaque temerè à puero prolata grande majestatis crimen facit. Minæ enim ab infirmo prolatæ contemtu non supplicio vindicantur: virorum denuntiationes cavisse legislatori satis est, aut interdicto reddito, aut idonea satisdatione exacta. Quare si puer, si fœmina, si Thraso aliquis aut Pyrgopolinices quamlibet atrocia interminati fuerint, risu solvuntur hominis meticulosi tabulæ: nec enim oratio; sed vis cujusque & robur formidatur. Nihil sanè levius, nihil minus metuendum, quam bullatorum minæ: momento temporis & sumunt iras & ponunt. Semper varii & mutabiles: modo aciem instruunt, hosticum populantur, urbes solo æquant: modo relictis regnis atque imperiis recurrunt ad arundinem & pupas. Fallitur enim, qui nos tantum aurigas & gladiatores, & spectacula loqui putat: etiam regna invadimus, & exercitus in Africam trajicimus, & loca opportuna præsidiis occupamus, & hosti justo prælio occurrimus. Verùm has cogitationes, hęc mentis molimina

limina unicus nucis jactus dissipat, tantusque modò bellator abjectis armis redit statim ad mures suos & plostellum. Quis prætextatis propterea dicam scribat? quis impietatis eosdem aut sacrilegii accusare ausit? omnes enim sciunt, abesse dolum cum animus à studiorum contentione remissus in risus & jocos solvitur: multa inter ludendum temerè atq; incogitanter effundi, quę nō magis à proposito nocēdi proficiscātur, quā si amphora ex reticulo, aut tegulæ de summo tecto cadant. Quo magis pudenda profectò accusatoris est calumnia, qui cum inter ęquales forte ludentem me narraverit, in crimen tamen trahere non erubescit nescio quæ ludentis titillitia: nec animadverdit, sedentium ad tabulam nec indignationem nec lætitiam moderatam esse: ad omnem fritilli sonitum impetu quodam animos rapi. Quid, quodd ne virorum quidem convitia omnia & maledicta leges vindicent? nam quæ à temulentis inter pocula jaciuntur, infra animadversionem sunt: & siquid inconsulto quodam calore proruperit, vetant principes majestatis quæstionem referri. Itaque Pyrrhus Epiri rex Tarentinis illis libenter ignovit, à quibus furente Lyæo convitiis oneratus atque proscissus erat; cum unus ex his magna

fiducia

fiducia profiteretur, multo atrociora dicturos fuisse, nisi lagena defecisset. Ac ne militibus quidem, tametsi severissima disciplina continentur, fraudi solet esse, si vel in agmine deficientis, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo vulnera curantis, vox aliqua in Imperatorem asperior fuerit excepta: tempori enim ista imputantur & fatigationi, nõ animo; nec quid, sed à quibus, & quo consilio admissum fuerit, spectatur. Hactenus ergò demonstrasse mihi videor, nihil esse à me designatum, quod aut in legem majestatis inciderit, aut ultimo supplicio fuerit expiandum. Transeo ad illam actionis partẽ, qua accusator divinatorẽ egit, ac licet neq; extispex, neq; astrologus sit, tamẽ ea me indole, iis moribus prẹditũ dixit, ut omninò è regno Gallorũ fuerit, quovis supplicio abreptum è medio tolli. Enimverò, non possum hic, judices, satis mirari hominis impudentiam, tam tristia, tam atrocia de me ominantis, cum nullum idoneum horrendæ divinationis argumentum attulerit. Quid enim ille de moribus meis dixit, ex quo de reliqua vita conjectura fieri posset? Num infans ẹqualium oculis genuinum infixi? num collusorum facies infesto ungue laceravi? num puer coturnicũ oculos erui, aut in hortis ambulans

summa

ſumma papaverum capita ſcipione percuſſi, aut ſecretum captans muſcas ſtylo confodi cruento? Deus meliora nec ſivit, ut adverſarius quicquam gravius proferre poſſit, præterquam id ipſum dictum meum, quod huic judicio cauſam præbuit. Unde ille papæ! quàm ſollerter, quàm divinè futura conjicit! quàm ſapiẽter ariolatur! Nihil ſanum aut moderabile à me expectandum fuiſſe, qui repentè tranſilierim à ferulis ad ſceptra, à talis ad neces & jugula imperatorum: Alios certis quibuſdam gradibus ad ſumma ſcelerũ eniti: me ante in præcipiti ſtetiſſe, quam quiſquam progreſſum animadverteret. Vide, accuſator, quam rem geras, quo progrediaris; vix ut pedem ſine periculo infamis literę referre poſſis. Tua enim argutatio ſi recta foret, quotuſquiſque puer à diſcrimine aberit? quæ ſpes generis, ac populi futuri, in tanta præſertim calumniantium multitudine? Nihil namque frequentius quàm pueros ludere regna, creare magiſtratus, jus dicere, pœnas irrogare. Interdum etiam ſeculo iraſcuntur, & tyrannos odêre, & ſucceſſorem mittunt malè rem gerentibus. Quibus ex rebus tantum abeſt, ut pravæ indolis indicia colligantur, ut contrà ſapientibus erectæ atque excellentis ingenii præſagæ ſint.

sint. Quid enim num pravo tibi ingenio M. Cato fuit, quod puer L. Syllæ tyrannidem ferre non potuit? Num perversa indole C. Cassius præditus, quod Faustum Felicis filium patris dictatura tumentem colapho percussit? Quid autem de Alexandro illo magno judicas, quem tu, si ad nuncium paternæ victoriæ flentem fortè conspicatus esses, Phaëtontem scilicet mundi diceres, fulmine ante Jovis feriendum, quam adulta ambitionis face orbem terrarum incendere posset. Atque ut ne Alcibiadem illum tuum prętercam, quem osor hominum Timon exosculari solebat; hunc tu solus credo divinatione quadam fututi furca strangulandum censuisses, cum tot secula, tot illustres scriptores dubio hactenus mentis judicio inter admirationem & execrationem fluctuent, nec constituere possint, atrone an albo lapillo natalis ejus signandus sit. Etiam atque etiam vide, quos tu viros, quanta impudentia damnaturus sis, ac tandem aliquando desine divinando gravis esse prætextæ. Quid quod prorsus incerta atq; fallax est illa de futuris hominum moribus divinatio: multi enim spem de se conceptam progressu ętatis fefellerunt: alii, positis cum prætexta vitiis in summos viros evaserunt. An quisquam

est,

eſt, cui ignota ſit Polæmonis intemperans adoleſcentia, Themiſtoclis luxus, Cimonis ſtoliditas, Manlii Torquati ſtupor, Scipionis Africani mollicies, C. Valerii Flacci furor, Quinti Fabii Maximi Allobrogici flagitia? Atqui hi ipſi, multique cum his alii, mutatis poſtea moribus firmataque judicio ætate, & fortiſſimi Imperatores, & abſtinentiſſimi viri facti ſunt. Inſigni profectò documento: duos ſæpe in uno corpore homines habitare; diſſolutum adoleſcentem, & probatum virtute virum: ſtultum eſſe eoſdem perpetuæ infelicitatis damnare, aut ſpem, quæ etiam incerta rectè fovetur, in certam deſperationem convertere. Venio nunc ad tempus illud neceſſarium Galliæ tantopere inimica accuſatoris voce exaggeratum: quod tamen ſi preſſius contemplemur, adeò ſaluti meæ officere non potuit, ut vel maximè præſidio eſſe debuerit. Cujuſmodi enim fuit illa tempeſtas? quanta malorum procella? Horrenda profectò, ac toti Galliæ penè ſuprema quum cæſo per ſcelus nefarium rege, totæ provinciæ immani diſtraherentur bello: cum de ſucceſſione non interdicto, non in jure conſerta manu, ſed ſolida vi ferroque ſæpè ambiguo, nunquam non damnoſo Marte dimicaretur: hinc impro-

bas

bas ſpes agitantibus Guiſiis, illinc immenſam habendi cupiditaté malè tegentibus Hiſpanis: donec ringétibus utriſq; victricia tandem lilia circumferret Navarrus. Hæc ego ſingula libenter non ſolum cõfiteor, ſed & profiteor: neq; nego corruptiſſimis moribus, atq; conculcata pene à cerdonibus imperii majeſtate, fuiſſe opus exemplo; verũ in aliis non in me ſtatuendo. Ego enim ſi aliter de repub. ſenſi atq; oportuit, nõ meapte ſpõte feci, ſed aliorũ impetu atq; ruina impulſus ſum. Etenim eo ipſo tempore pervaſerat plerorumque mentes perniciosus iſte error; fas nõ eſſe heretico atq; excommunicato regnum adire, aut populos Romanis ſacris addictos imperio premere. Sic ſacer ordo, ſic principes & nobilitas, ſic denique plebes facti, imbuti, inſtituti erãt, ut nequaquam paucorũ hæc inſania, ſed popularis potius furor eſſet. Sequebatur enim quiſque priores malè iter ingreſſos; nec religioni cuiquam erat publica errare via. Hac tempeſtate, hoc tu anfracto, ſi quem puerum ceſpitantem offenderis, is confeſtim tibi læſæ majeſtatis reus erit: quemque erroris admonitum in viam reducere debueras, huic tu laqueo gulam frangere ſuſtineas. O os hominis ferreum! ô frontem exanguem! ô pectus immite

& inexorabile! Quàm nequiter dissimulas puerorú mores! quàm impudenter damnas imitationé illam à natura his inditam, qua tam recta quam prava docili mente imbuunt. Nam cum in civitate aliqua seditio cooritur, cum jam fasces, & saxa volant, ministratque ira viris arma; nonne videmus eandem insaniam pueros imitari; ducem quærere, signa statuere, parvis in armis discurrere per urbem, nunc has, nunc illas partes sequi? Quis propterea his diem dicit? quis majestatis eosdem reos defert? Contenta est ultio virorum supplicio; ac ne viris quidem omnibus pœna infligitur, sed laudabili æquitatis temperamento in auctores duntaxat seditionis animadvertitur. Causa enim & origo furoris fere penes paucos est: reliqui contagione insaniunt, ducesque periculosum æquor ingressi, immemores discriminis quasi remulco trahunt. Quare sæpe fit, ut in tanta multitudine plerique nesciant, quo amentiæ progrediantur, quid facinoris in patriam, quid adversus summi imperii majestatem exorsi sint. Neque adeo sine causa sapientes multitudinem mari comparant: quod uti sua natura tranquillum est, sed ventis agitatum intumescit: ita populus quoque sua natura lenis est, verum à pravis oratoribus

toribus tanquam violenta tempestate commovetur. Ac licet castrensis disciplina severissima, & penè inexorabilis sit; tamen ne militari seditione coorta toti manipuli perirent, sortio comparata est; ut metus ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Si igitur in castris atque in severissima disciplina decimus quisque aut centesimus duntaxat fustibus mulctatur: Si domi multitudini parcitur, soli seditionis auctores luunt: cur mihi imputatur commune vitium? cur damner ob publicum errorem? Postremò si viris ignoscitur, qui non sua sponte, sed contagione insanierunt: cur puero mihi majestatis quæstio refertur? cur quæ in factiosos Tribunos cudenda erat, in me faba cuditur? Num infelix usquam suggestum conscendi? num ex ambone vox aliqua mea acerbior audita est? aut scriptum aliquod meum perniciosum in vulgus exivit? Quid ergo feci, quid commerui? Enimverò quanquam invitus id facio, non possum tamen, quin de illa judicantium decuria querar, quæ linguę puerilis lubricum, & inconsulto calore prolata verba, tam contumelioso mortis genere punire non erubuit. Quoque magis puer doleam, viri faciunt, necquicquam in invidiam meam ab adversario adducti: ipsi illi

Barrerii, Cruceji, Carpentarii, Audoëni, Ridicovii, Viardoti, aliique non homines, sed monstra hominum: qui cum voce, calamo, sica Navarri causam oppugnassent, & quicquid incautum sexu aut ætate erat, in consensum furoris traxissent; paucissimi tamen ultimo supplicio affecti, nonnulli relegati, plerique ad solam palinodiam adacti sunt. Neque his duntaxat ignotum est, quos vitæ genus, conditionis humilitas minus metuendos effecerat: verùm etiam magna illa nomina, & formitati bellatores, Guisius, Aumalius, Mercurianus, alii non solum in gratiam recepti, sed & amplissimis provinciarum præfecturis honorati sunt. Ego verò puer, qui crimen non intelligebam, qui ceu obsequentem discipulum decet, secutus eram meos magistros, qui publica erraveram via, & erraveram tamen ita, ut error intra verba staret, infami furcæ addictus sum, pependique heu litera longa, qui vix prima literarum elementa didiceram. Ac licet flebili voce deprecarer: Ingnoscite, judices, erravi, lapsus sum, non putavi, si unquam posthac: efficacior tamen in animis eorum accusatoris erat obtestatio: Cave prætor puero ignoscas! principem ille scalpello feriet: & prava indole natus est.

Ita

Ita celeriter pueriles inaruerunt lachrymæ; quæque ætas parentes quoque suos ab exilio vindicare solet, in hoc judicio ne sibi quidem ad salutem prodesse potuit. O homines crudeles! ô immanes sycophantas! quid est calumnia, si hæc non est. Si justæ ætatis, & quæ admissi magnitudinem capit, impietate adversariûm circumventus essem, justissimus tamen dolor foret, querentis de iniquitate calculi: nunc cum puer, & innocens à viris oppressus sim, non possum non exclamare, ô cœlum! ô terra! ô maria? Ubi fides illa, ubi religio, quam tabellam sumturi in consilium adhibere solent? Usque adeò nemo ex illa decuria fuit, qui conscientiam suam revereretur, qui legem, qui æquitatem consuleret; qui compositis affectibus posset quem odisset absolvere, quem non odisset condemnare. Quid moror ulterius? aut ad quæ me majora reservo? Vitam amisi, antequam vivendi rationes intelligerem: veruntamen laqueus extrema malorum linea sit: non est: etiam ultra mortem progredi crudelitas inimicorum parat. Damnetur pueri memoria: hoc si luctuosum est, dicat iterum causam. Hei mihi, quo adigor cui ne sub furca quidem securo quiescer licet. Unicum malorum

ſolatium eſt, quod novo conſtituto judicio, eos video conſediſſe viros, qui non recentibus odiis, ſed extincto jamdudum livore de fama mea judicaturi ſunt: qui ea virtutis atque integritatis opinione animos omnium implevêre, ut non tam ſorte ducti, quam judicio ſapientum lecti videantur. Qua propter relicto tandem accuſatore ad vos me judices converto, veſtram fidem, religionem, æquitatem appello! Opprimite, quæſo, non naſcentem in herba, ſed adultam jam ferè calumniam: ferte opem innoxiæ ætati, quæ niſi veſtræ humanitatis præſidio recreëtur, improbiſſimis quadruplatoribus ludibrio atque prædæ erit. Jam diu eſt, quum lex Memmia dormit, nec metuunt talionem crudeles in foro vultures. Adverſus hos judices ſeveritate opus eſt: ſpectent paria præmio damna, nec majores ſpes quàm metus foveant, tantumque timeant, quantum ipſi timentur. Ac quoniam his libuit totas in me legiones commovere, & voce totius exercitus perorare; ego contrà, judices, puerorum vobis turmas ſiſto, quorum ploratus juſtiores ad ignoſcendum, quam barbarus militum clamor ad damnandum cauſas habere debet. Hi ſuam quiſque vicem ſolliciti orant, obſecrant, ut

ætatem respiciatis cives, cui hostes quoque parcere solent: ut si quid per ludum, per jocum, per lasciviam admissum sit, puerili supplicio defungi liceat; nec verborum petulantia capital, aut maledictum calore prolatum gravissimum perduellionis crimen sit. Hebescet alioqui adolescentiæ virtus, & erecta ingenia pravus honesti magister furca debilitabit. Quis enim puer in hoc tam brevi ævo excitare mentem, quis attollere oculos ad summa ausit, si non modò viros, sed etiam adolescentes ad summa natos scelere potius quàm judicio tolli videat? Nec vos præcipites agat aut regis amor, aut offensionis metus, & odium ingrati seculi. Ea enim est principis nostri civilitas, ea animi mansuetudo, ut fortiter amari velit, & libertatem temporum suorum intelligi. Non ille majestatis crimina in ludo colligit: nec cultellos pueriles tanquam aciem hostilem formidat. Magnitudine sua contentus est, quam violabit, quisquis prætextatos læsæ majestatis reos in judicium adduxerit. Postremò si neque ætate nostra, neque magnitudine principis commovemini, saltem vestros annos, vestramque existimationem intueamini: ne dum suppliciorum severitate obsequium principi

approbare vultis, omnes existiment non tam imperatoris salutem, quam largitoris gratiam vobis curæ atque cordi fuisse.

ANTONII MATTHÆI
ORATIO XIV.
PRO
LEGIBUS SUMTUARIIS.

Recitata VI. Id. Julij Anni M. DC. L. Cum THEOD: à VELTHUYSEN, *Summos in Vtroque Iure honores conferret.*



SI in dicendo, quantum amplissimus hic vester consessus postulat, tantum in me esset artis & usus; non vererer, ut exorator discederem, qui orator ad vos missus sum. Ut autem verear, non solum tenuitatis meæ conscientia, verùm etiam causæ susceptę magnitudo facit. Leges enim sumtuarias, unicum reip. jam deficientis subsi-

ſubſidium, ſuaſurus ſurrexi: quas quoniam perdita luxu juventus cane pejus & angue odit, haut exiguæ molis provinciam ſuſcepiſſe me ſentio. Ac tametſi quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparavi, tamen cum ipſius actionis difficultatem intueor, non ſinè cauſa pertimeſco. Blandum enim malum luxuria eſt: quod, quia ſub ſpecie humanitatis fallit, accuſare facilius, quàm damnare licet. Quanquam ne accuſatio quidem omnis ſinè periculo: ita namque vitia ſua ſeculum amat, ut ea non ſolùm vi ſumma defendere, ſed etiam verbulo læſa crudeliter vindicare norit. Verùm quicunque tandem orationis noſtræ exitus futurus ſit, ſuſtentabimur præclara conſcientia, nos & ſenſiſſe rectè de republica, &, ſi minus feliciter, piè tamen atque ſalubriter in commune conſuluiſſe. Quis enim non videt, quo tandem evaſura ſit illa legibus ſoluta gula, & latè patente rictu ingluvies? tum autem in veſte, ac reliquo corporis cultu licentia tanta, ut omnes propè civium ordines commixti atque confuſi videantur. Funditus hæc peſtis tractura eſt rempublicam, niſi nova lex epulis modum, libidini pudorem, ſuperbiæ metum injecerit.

cerit. Nam si vitiis edictum opponas, alios quidē laudis amor, alios prętoris æquitas, pessimos etiam formido pœnæ continēbit. At amota lege, neque pudor ingenitus, neque ratio sola obstare poterit, quo minus jure fieri vulgus putet, quod nulla peculiari sanctione notatum atq; prohibitum invenerit. Verùm quoniam ne adversa quidem factio diffitetur, rem pulcherrimam atque utilissimam in civitate esse sumtuarias leges; pugnat tamen seditionis terrore, atque in libera civitate obtineri posse negat, hac de causa, seposito legum præconio, illud solùm ostendemus, neque libertatem civitatis, neque incolarum ingenia, neque ipsius vitii vim atque pertinaciam impedimento esse, quo minus aut maximo comitiatu rogari, aut legitimis judiciis constitutis exerceri possint. Hæc ubi singula, qua potero fide ac brevitate, demonstravero, quod pace & æquanimitate vestra liceat, perorabo. Qui igitur rogationi nostræ intercedunt, primùm quidem contumaciam humani generis obtendunt, quod cum aliis legibus iniquum, tum inprimis sumtuariis infestum sit; utpote voluptatibus suis, ad quas à labore maximè proclive est, adversas atque inimicas. Adhæc libertatem civitatis ingerunt, in qua cum animi, lin-

guæ,

guæ, corpora tyranni metu soluta sint, etiam genio atque voluptatibus aliquid sit indulgendum: Non omnia ad Curii alicujus, aut Catonis frontem exigenda: in magno populo, amplis patrimoniis, re placida atque otiosa, splendidè potius quàm sordidè vivendum. Postremò adulta jam ac prævalida vitia esse, quæ rapi in judicium sinè magno civitatis motu non possint. Tiberium Neronem, re in consilium orbis terrarum missa, diuque variantibus sententiis agitata, satius tandem existimasse, non tangere in possessione jam positos mores, quàm nequicquam irritatis succumbere, illamque licentiam, quam sibi quisque timidè sumit, victis legibus audacia armare atque securitate. Enimverò, cum hos luxuriæ patronos audio, non possum satis mirari, quid illis in mentem venerit, ut non solum ingenium humanum contumaciæ damnarent, verum etiam animal illud rationis plenum longè infra bestiam deprimerent. Ecquid est in omni animantium genere adeò immane aut intractabile, quod non hominum industria subigi positaque feritate exarmari possit. Mitescũt tauri pastoris cura, nec ullus tam ferox sonipes, qui non frenum ore, sessorem tergo admittere discat. Quinetiam cameli

nobis & elephantes parent, colloque domiti sarcinas nostras jumentorum instar ferunt. Postremò leonem, pardum, tigrim, quanquam inter bestias feritate insignes, vox tamen atque manus assidua magistri ita permulcet, ut ejerata sævitia docentis nutum observent, & passim inter aulæ, omnia vulgaria fastidientis, oblectamenta conspiciantur. Quid ni humanum quoque ingenium, tametsi ad luxum & voluptates corporis proclive, partim præmiorum spe, partim pœnæ metu, partim exemplis à vitiorum consuetudine abstrahi atque avelli possit? An minus rationis nobis, quam catulis Lycurgi inesse dicemus; quorum alter in otio atque deliciis, alter in silvis atque inter truces venantium clamores enutriti, documento Spartanis fuere, quantum in utramque partem possit adsuetudo? Neque enim semper eadem Lacedemoniis virtus, iidem mores fuere. nihil ante Lycurgum solutius, nihil petulantius: quos tamen unius legislatoris solertia ad virtutis & temperantiæ studium ita traduxit, ut dignos tandem Hercule gentis conditore se præbuerint. Quid Persas, quid Carthaginenses, quid Gallos, Hispanosque veteres memorem, vino olim & comessationibus ad infamiam usque

dedi-

deditos;qui nunc ſub eodem ſole,iiſdemque fervoribus,ſiccitatis laude nullis gentibus aut nationibus temerè ceſſerint. Sexcenta hujus generis adduci poterant exempla: ſed ne quis exiſtimet hanc ſequacis ingenii laudem penes exteros ſtetiſſe; noſtros vero homines ita à cœlo ſuo animari, ut quod ſemel prava conſuetudine imbuerint, pertinaciter tueri quàm relinquere malint, eripiendus eſt cunctis popularis error. Id autem ita fiet commodiſſimè, ſi ab ipſo quaſi Batone exorſi demonſtremus, neque cœlum, neque ſolum nobis adeò infeſtum atq; iratum contigiſſe, quin & rectè monẽtibus parere, & promto ſtudio præeuntes aſſequi valeamus. Elementis illud à vetuſtate tributum inveniemus, ut quibus aër craſſior, ſolum pingue atq; depreſſũ habitatur, hos tardo ingenio atq; obeſo naſci cenſuerint: verũ ut contumaciam iiſdẽ atq; malitiam impingerẽt, ſanæ mentis, quod quidẽ ſciam, repertus eſt nemo. Hinc Græcis Bęotorũ tarditas, Romanis Batavorum aures, Italis Hiſpaniſque Alemannorum crudelitas in proverbium abiêre: contumacia verò, calliditas, perfidia Poenis, Liguribus Circaſſis, Epirotis, Cretenſibus, tenui licet ſub aëre, puroque cœlo, perſpicaces ingeniorum arbitri adſcribere viſi

Q 7 ſunt.

ſunt. Verùm ut ad Batavos revertar, originem gentis ab ultima repetentes memoria, atque inde ad noſtrum uſque deſcendentes ævum, nihil inveniemus, quamobrem contumaciæ jure meritoque damnari poſſint. Cattorum quondam populus exorta diſſenſione domi, in has oras non vi atque armis expulſus, ſed ſponte ſua tranſgreſſus eſt. Nihil opus aſtrologis, nihil metopoſcopis, aut ſi quæ aliæ divinatorum ſectæ ſunt: vel ſola hæc migratio & manu, & fronte, & aſtris certiora nuntiat. Cum enim pugnare læta bello juventus pro patria, proque penatibus poſſet, rara pietate novas potius ſedes quærere, quam avitas civili cruore reſpergere maluit. Quirites ſi tam pios generis ſui laudare poſſent auctores, quantum hiſtoricis, quantum poëtis atque oratoribus imputarent! quam læta utriuſque dicendi materies! qui in illa latronum atque paſtorum caſa, tanquam in ſimpulo tantos excitarunt fluctus. Quoniam Batavis hæc prærogativa naſcendi contigit, parco ac invidenti ſtylo indicium magis quàm famam poſteritas debet. Subinde cum victrices aquilæ ad Danubium & Rhenum uſque progreſſæ eſſent, neque morum barbaries, neque ingenii contumacia ea in Batavis fuit, quæ

aditum

aditum ad amicitiam & societatem Populi Romani eis intercluderet. Itaque fœdere non iniquo in societatem recepti; honosque habitus, ut nec tributis succumberent, nec publicanus attereret; sed oneribus & collationibus exemti; ad auxiliaria duntaxat arma vocarentur. Postquam nutare imperium, aliisq; post alias deficientibus provinciis Franci rerum potiri cœperunt, non minus fidum in hos obsequium, atque amicitia cum Pop. Rom. fuerat. Mox fluctuantibus inter Gallos Germanosque Belgis, partim ut liberi, partim ut pars alieni imperii atque limes egere; donec volente ita Numine Burgundis, per hos deficiente virili stirpe Hispanis cessere. Ac ne horum quidem imperium contumacia quadam parendi abjecerunt, sed multis ante injuriis exasperati, atque intolerabili servitute pressi, ad extremam hanc & necessariam salutis rationem confugerunt. Est omninò hic regnantium dolus, ut, ubi nobilitatem cędibus, plebem direptionibus efferarint, contumaciam populi accusent, bellumq; sævitia sua accensum ferociæ civium imputent & rebellioni. Batavos verò ab ea culpa nō solùm fides historiæ liberat, verùm etiam hostis ipsius confessio absolvit. Tametsi enim recenti defectione, cujus

sensus

ſenſus acerrimus erat, totas provincias atque civitates majeſtatis damnarit, Albanoque duce immiſſo crudeliter executus ſit: tamen poſtquam ad ſe rediit, populum quidem ſacrilegii atque impietatis crimine liberavit, exuti vero obſequii fraudem paucis quibuſdam, à quibus ille circumageretur, impegit. Quod cum aliis documentis, tum inprimis edicto anni ſupra milleſimum quingenteſimum nonageſimi noni oſtendi poteſt. Terribilis pagina, ſublatis funditus commerciis, uno quaſi ictu confectura bellum, cui tot Imperatores, tot legiones, tanta auxiliorum, navium, jumentorum vis ſuccubuerat, commemoratis invidioſè odiorum cauſis, nihil aſperius in gentem noſtram, nihil inclementius dixit: quin contra cum ingenii manſuetudinem, naturæ bonitatem, morum ſuavitatem laudaſſet; invidiam omnem civilis ſanguinis in demagogos, & ſeditionum incentores derivavit. Quis neſcit; quàm gravatè hoſtis verum dicat; quàm invitus virtutem, qua premitur, laudet: ut non armis magis, quàm obtrectatione pugnet: quaſi is demum ſuperior ſit cauſa, qui graviorem adverſario calumniam impoſuerit. Quare ſi cujus virtutis palma, ſi rectè factorum teſtimonium ab hoſte nobis fuerit tributum, id tan-

quam ab ipſa rerum veritate expreſſum cenſeri debet. Abſolvunt ergò nos à crimine contumaciæ Romani abſolvunt Franci atque Burgundi; abſolvunt infenſiſſimi nuper hoſtes Hiſpani quid reſtat adverſariis, quamobrem ingenii noſtri duritiem ſaluberrimæ rogationi opponant? Num aſſertor civitatis impedimento eſt, & libertas quidem cum utilitate pugnat, quoſque tantis diſpendiis virtus manumiſit, eos legibus ſervire indignum & probroſum eſt? Enimverò, qui hoc obtendunt, ne ſpeciem quidem, aut umbram veræ libertatis unquam perſpexiſſe mihi videntur. Non enim libertas, ſed licentia eſt, poſſe quemque in civitate quod lubet; quæ niſi legibus coërceatur, primum quidem ſeniorum ac parentum reverentiam exuet: dein magiſtratibus obſequium denegabit: ad extremum etiam fidem, juſjurandum, atque ipſum rerum omnium conditorem Deum immortalem contemnet. Vera autem libertas & genitores colit, & iis qui cum imperio ſunt ſe ſummittit, & promtam legibus reverentiam exhibet. Videt enim, niſi leges in civitate ſacroſanctæ ſint, nihil eſſe, quamobrem quiſquam liberum ſe eſſe putet. qui à potentiore, & publica indulgentia paſto cive impune opprimi atque everti

possit. Quid est, amplissimi Consules, cur vos pro tribunali sedeatis? vos autem Scabini, quamobrem ex tam magna multitudine civium tam pauci de capite & fortunis nostris sententiam fertis? quid sibi autem viatores, quid lictores, quid cæteri, quos apparere cernimus volunt? Num idcircò minus liberi sumus, quod sit aliquis in civitate judiciorum metus, & rebus judicatis condemnati parere cogimur? an verò ministri vos legum atque custodes estis, ut ne libertas civium cujusquam opibus labefactari atque convelli possit? Quid autem? legibus de furto duntaxat, & peculatu, & parricidio, & reliquis ejusdem notæ criminibus caveri oportuit? an quoniam hæc ex aliis nascuntur, altius surgere legislator debet, & ipsos fontes, ex quibus ista scaturiunt, recidere? Profectò, si rectè mentem vestram sapientiamque perspexi, non est in obscuro, quid ea de re sitis existimaturi: nempe, frustra summas arborum frondes velli, nisi ipsa robora imis convulsa radicibus cadant: frustra medicam admoveri morbis manum, nisi causæ quoque morborum è medio tollantur. Hæc quæ diximus maleficia, omnia ex avaritia existunt: avaritiam verò inopia; inopiam comesis patrimoniis luxu-

luxuries parit: quam qui è civitate excindi non patitur, næ ille libidini honestius, quàm legibus servire se autumat. Nos verò, qui libertatem non libidine sed ratione metimur, libenter legum servi erimus, ut libertatem à majoribus relictam tueri, eodemque jure quo accepimus ad posteros nostros transmittere valeamus. Nec tamen cùm edictum urgemus, acerbitate pœnarum in civitate grassabimur: non delator in cubiculo, non tortor in carcere, non carnifex in foro erit formidandus: Mitissimum pœnæ genus mulcta est, quam irrogent Censores iis, qui libidini & cupiditatibus suis modum ipsi statuere recusant. Hæc legem à contemtu vindicet. Hæc cives alea perditos, poculis immersos, voluptatibus sepultos in lucem revocet: ab auro ad lanam, à vino ad fontes, à boletis ad polentam transferat. Ad hanc si bonorum accesserint exempla, non est quod pervicaciam ipsius vitii metuamus. Optimus enim disciplinæ magister exemplum est; cum id quod aliis præcipimus fieri posse approbamus: quod interminamur nobis licere non patimur. Inde natus æmulandi ardor non solùm obsequentes trahit, sed & impetu quodam contumaces rapit: qui quanquam rationi repugnant, consensu tamen

plurium se vinci patiuntur. Denique exempli tanta vis, tam efficax incitatio est, ut si vel princeps castus, & sanctus, & temperans Dei Opt. Max. beneficio reip. contigerit, frangi illicò luxus impetum, ac tanquam animalia quedam amisso aculeo torpere necesse sit. Multis id experimentis confirmari potest, nullum tamen illustrius extare videtur, quam quod togata historia suppetit. Ec cui unquam civitati gravior incubuit luxuria quàm Romæ? Quis populus aut mensę sumtu profusior, aut corporis cultu indulgentior, aut signorum & pretiosæ supellectilis cupidior, aut hortorum amœnitate, & vastis substructionum molibus insanior? Quicquid privi cœlum, terra, mare intulerat macello, id Gurgites, & Apitii, & Nepotes pretio avertebant immenso; in triclinió turpius, quam in acie vinci se putantes. Atque hæc cum faciebant, neque custodem, neque ędilem, ac ne principem quidem metuebant: palàm & inspectante populo obsonabantur, abolitis jam dudum contemtu quodam Oppiis, Fanniis, Liciniis, Æmiliis, Juliis rogationibus. Cumque Varrone teste, ad victum optima ferret ager, Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis:

beris: tamen exhausta quasi assiduo scrutatore Italia, mullus è Corsica, murena ex Sicilia, tubera ex Africa, vinum ex Græcia, ostrea ex Britannia advehebantur. Neque stetit intra obsoniorum pretia cænarum gloria: hęc ipsa quæ magno constiterant, longè pluris condiebantur, & gravior aliquanto coquus domino, quam piscator erat. Ad summam eo perventum erat scelerum, ut ex luxu fama quęreretur, ac prodigalitas sermonibus vulgi celebrari vellet, perisse sibi sumtum dolens, si lateret. Quid enim ageres in tam occupata civitate? ubi multi bona comedunt, multi coronati bibunt, & amicas habent, ibi vulgaris nequitia fabulas non invenit. Ut inter catillones nomen invenias, non tantum delicatam rem, sed & notabilem designare necesse est. Quinq; milibus sestertium emit mullum Octavius: sex millibus Crispinus. Aceto liquatos uniones hausit Æsopus. Auro ventris onus excepit Bassus. Novies millies sestertium non toto vertente anno dissipavit Vitellius: Vicies septies millies Caligula: Atque ut ad fœminas quoq; illustres transeamus; centies sestertium uno cyatho sorbuit Cleopatra. Quadringenties sestertium in ornamētis habuit Lollia. Quingentarū asinarum lacte lavit Poppęa. Quid referā, quot eunuchos Plau-

Plautia, quot mœchos Hippia, quantum subsessorum habuerit Messalina? O fortunati Numitoris nepotes neptesque! vestrum nomen in popinis cluet! vos circuli, & theatra, & convivia loquuntur! quicquid usquam picarum & corvorum est, vestras laudes in tabernis canit. Estne aliquid amplius, quo progredi vestra nequitia possit? Est: nam si gratiam novitatis inventio perdiderit, faciemus aliquid contra naturæ consuetudinem, & temporis dispositione separabimur, qui jam cultus licentia, elegantia cœnarum, mundicie vehiculorum à cæteris distincti sumus. Diem somno, noctem conviviis extrahemus. Sitientes platanos rigabimus mero; plusque vini umbra, quam poeta bibet. Serentur pomaria in summis turribus, & ingentes silvæ nutabunt in tectis domorum ac fastigiis. Fundamenta thermarum in mare jaciemus, & calentia stagna fluctus simul feriet & tempestas. Dici vix potest, quam sit compendiosa ad famam via, fastiditis vitiis quæ in mores transierunt, facinus aliquod virgis aut latumiis dignum in vulgus edidisse. Hæc quota pars scelerum, quibus annales fatigantur: quæ ne historia quidē sinè rubore narrare potest. Quis potuit sperare, affore aliquando diem illum, quo pestis reip.
tam

tam gravis,tam exulcerata;adhæc tot annis confirmata,tot lustrorum impunitate defensa, exolesceret? Nam ex quo Asiæ primùm atque Europæ spoliis locupletati Quirites, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium conversi sunt,ad extrema usque Neronis, anni plus ducenti sunt: Tam diu urbs non orbis domina, sed magna popina fuit, in quam perinde atque in sentinam conflueret,quicquid usquam infame, intemperans aut impudicum esset. Postquam Vespasianus orbi Romano tanquam salutare sydus illuxit, tunc demum amentiam ratio, libidinem pudor, cupiditates abstinentia frenare cœpit,luxusque ille tot annis tam profusè exercitus primulùm erubuit;dein repressus est: ad extremum labente spiritu concidit. Cujus rei laudem non fatum, non astra, & peractus naturaliter vitiorum orbis sibi vindicant:exemplum est, quod ex perditis & abjectis cives abstinentes fecit. Ut enim civilis sapientiæ magister firmat, præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, qui cum antiquo esset cultu victuque, frugalitate principis imitatio accensa est, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus atque metus. Quis enim eum imitari non sustineat, cui omnes maximè placere volunt;
ex

ex cujus vultu quisque suum fingit: cujus mores pro speculo, vitam pro regula habet. Non, non est profectò, quod vafer ille dissimulator Tiberius nobis objiciatur: ignovit ille amico sibi vitio, & emendationis difficultate prælata damnandos absolvit mores. Quid enim novo principi utilius, quid ad securitatem opportunius, quàm luxu marcere patres, plebemque lustris immersam suæ oblivisci libertatis? Hæc imperantium stropha est: hic dolus retinendæ tyrannidi paratus. Hac arte Cyrus olim Lydos, Xerxes Babylonios, Phalaris Leontinos perdomuere: ademtis equis atque armis in tabernis præliari, scorta alere, lenocinia ac ludicras artes exercere jussi: ita populi manu strenui, & industria pollentes, mollicie luxuriaque celeriter effœminati sunt: & quos ante invictos Mars reddiderat, in nequitiam lapsos Liber atque Venus superavit. Eadem arte, sed dissimulatione majore Britanni circumventi: homines bello promti ut voluptatibus enervarentur, primùm templa, fora, domos extruere jussi: mox à duricie illa vitæ, atque à re militari quasi ad studia humanitatis traducti. Inde præcipiti gradu decursum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegan-

tiam:

tiam: quod, ut ille ait, apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. Nec dubium, quin Transrhenanæ quoque gentes, quanquam cœlo ac solo suo acrius animarentur, eandem fuerint subituræ fortunam, nisi liberator ille Germaniæ Arminius, ingenti ausu, nec minore fortuna, cæsis Quintilii Vari legionibus, imminens servitutis jugum excussisset, ac rei militaris gloriam à majoribus acceptam, posteris conservasset. Ex his A. O. jam planum ac perspicuum fit, nullam tantam civitatis corruptelam esse, cui non legislatoris prudentia mederi possit: ac neque pravitatem ingeniorum, neque populi libertatem, neque ipsius vitii vim emendandis seculi moribus impedimento esse. Quid igitur restat, quo minus quàm primùm comitia calentur, & bonis auspiciis sumtuarias leges Consul roget, Senatus populusque velit, jubeat? longè profectò utiliores, quàm aut Cinciæ leges, aut Aquilia scita, aut tristes illæ de tricesima & quadragesima rogationes, quæ lachrymas nostras vectigales faciunt, & commercia prædiorum tributis impediunt. Sanè jamdudum id petit pietas, quam nec quicquam obnitentem perditissimi homines è civitate profliga-

runt. Poſtulat id fides illa, qua reip. obſtricti ſumus, quam obſcœni ventres cotidiè perjuriis, peculatu, ſacrilegiis violare non verentur. Flagitat denique ipſius reip. neceſſitas, cui niſi celeriter ſuccurratur, actum erit de vita, de libertate, de fortunis noſtris. Stat enim in præcipiti luxuria, & ingenti rictu, hauſtis ſingulorum patrimoniis, agro, oppidis, ærario noſtro vaſtitatem minatur. Inſtructas pulchrè in perniciem publicam rationes habet: nihil Græca, nihil Romana commenta eſt nequitia, quod non finibus noſtris intulerit. Boleti, mugiles, oſtrea, ſquillæ, apri, pavones, ficedulæ menſas onerant: Stupent triclinia inſanis utenſilium fulgoribus, & exploſis pauperis vetuſtatis catinis ligneis, vaſcula ſelecta interim materia, interim manus pretium commendat. Veſtes auro argentoque ſqualent, nec ulla tam vilis materia, cujus non acceſſio gemma ſit. Morio, paraſitus, aleator, nauta, caupo, quis non in purpura cubat? Tum autem lenonum & ſcortorum tanta copia, quanta muſcarum olim cum ſudum eſt. Poſtremò, ne tricliniis inviderent ſtabula, auro & argento etiam muliones rigent, & frena, ſellæ, calcaria, pilenta tota rutilo fulgore ſuperbiunt. Omnia

mnia adeò, ubi in unum quasi locum contracta, curioso oculo lustraveris, actores duntaxat mutatos; cæterùm eosdem cothurnos, eadem scenæ argumenta dixeris. Ac ne quis existimet, ad summam flagitiorum Quirites pervenisse, nos imitatione duntaxat & exemplo peccare: habet, eheu! habet & nostra ætas quod Græciæ opponat: habet quod attonita stupeat Roma: nec adeò lassa & effœta petulantia fuit, quin novum aliquod & inauditum facinus eniti posset. Quid enim? num mediocris ingenii fuit Cererem docere fulloniam, & illa cœlitus data vitæ subsidia transferre ad inanem vestis candorem? Quid est ex omni frugum genere, quas aut arista munit, aut siliqua tegit, tritico nobilius? quid ad vitæ sustentationem & humani corporis alimentum præstantius? Quicquamne olitor habet, aut auceps, aut venator, aut piscator, quod cum divino munere contendere possit? Hunc tamen desideratissimum agri fructum, hoc amabile cœli pignus, luxuria nostra perinde ac lutum argutis figuli subjecit pedibus. Calcatur opima siligo, quam ne in sacrificiis quidem aspernabatur Numen, & admixto humore liquatur in viscum; non unde lippis collyrium, sauciis emplastrum, æ-

 gris

gris medicamentum fiat; verùm unde nebulæ matronarum lineæ tingantur, & textiles venti pellucidas ostendant papillas, clarorque merus constet promiscuis virorum fœminarumque labis. O tempora! ô mores! Ubi nunc lex Julia, quæ pestem reip. Dardanarios atque curculiones coërces? En unquam gravior reip. pestis, unquam major ægrorum calamitas excogitari potuit? Num grando, num uredo, num sturnorum, graculorum, prædonum vis tam est cerdonibus pertimescenda? Quot illam messes, quantam annonæ copiam in singulos annos deglutire putabimus, cum unius vici Batavici cerdones, singulis hebdomadis tritici optimi modios plus minus octingentos haurirent. Libet exclamare: O cerdo, cerdo! cibus est, quem planta calcas: cibus hominis; imo homo! Cur fame quisquam te argutante moritur? Cur exercitus ingentes in expeditione laborant, & obsessis ab hoste commeatus inopia deditionis necessitatem exprimit? An parum est, quod vita populi per incerta maris & tempestatū volvitur, nisi quod reliquum fortuna fecit, id prædones isti tanquam commissum cum pulvisculo everrant? Profectò, aut hæc animadvertenda calamitas est, aut hac omissa cura, conturba-

re

re remp. necesse est. Ac si cui adhuc dubium fuisset, utrum leges sumtuariæ ferendæ sint, an expectandum donec principes pudor, divites satietas, pauperes necessitas in melius mutet: nunc tamen deliberationem omnem præterita tempestas sustulit, noxiumque Cereri alienis mensibus gelu, & conjuratę in perniciem nostram pluviæ, quas nuper iratum flagitiis Numē, terris nostris propè trimestres immisit. Sternebantur aquarum ruentiũ impetu segetes, & abjectis votis irritum anni laborem deplorabant coloni. Pecora quoque muta, quod solum poterant, stagnantibus pratis ad cœlum traxere suspiria, & corruptis humore nimio alimētis, destituere spes pascentium. Tunc certè tristis annus ebrias damnavit noctes, & occultatum diu solis jubar corruptam vindicavit Cererem. Pudet heu! sed cur pudet fateri? Gens, quæ negotiatoribus suis omnes reclusit vias, omnes patefecit portus, & nationes toto orbe dispersas ita sibi junxit commercio, ut quod genitum est usquam, id apud unā natum esse videatur, inopina aquarum vi oppressa, frustra cœlum, frustra mare suum & classes respexit, cum ipse ubertatis auctor & parēs, annuũ ruris proventum, iisdē nubibus, quibus solem cohiberet. Quare, si qua pietatis

ſcintilla, ſiquis conſcientiæ ſenſus nobis reliquus eſt, revereamur tandem aliquando præſentem Deum, & minante famem cœlo, luxuriam ſtrangulemus edictis, totamque illam liguritorum nationem opprimamus ante quam opprimant. Sæpe cum malis moriuntur, qui cum ipſis degunt; pœnæque ſcelerum auctores juxta ac diſſimulatores manent. Neque nos inanis ſeditionis metus moretur, aut offenſiones delicatorum ab inſtituto deterreant: dici enim non poteſt, quam ſint nonnulla primo aſpectu ardua, quæ uſu ipſo atque tractatione facilia experiare. Cumque tam multa inoleverint, quæ ipſis qui referebant, duriora videbantur: ſperemus etiam has leges inveteraſcere poſſe; quibus non rigor ipſarum, non iniquitas, ſed principum diſſimulatio venerationem detraxerat. Prævaricator eſt, quiſquis cauſam reip. inimicis donat, & deſertis partibus inanem offenſarum metum obtendit: quæ quo plerunque breviores exiſtunt, eo certè minus ſunt formidandæ. Ac ſi ullum tempus eſt, quo in cauſa publica tergiverſari licet: in hac profectò omnem hæſitationem neceſſitas abrumpit: ubi numen adeſt, & tempeſtas minatur, & conjurati in nos imbres præliantur. Veniet tempus, quo lau-

laudabit posteritas factum: mirabuntur eidem exteræ nationes; quantumque mortali augurari licet, majorem vobis gloriam addet defensa frugalitas, quam pulsus hostis campo, exactus mari, oriens occidensque triumphis lustratus. Quanto enim pulchrius est civem conservare, quam hostem ferire: tanto etiam excellentior gloria vos manebit, si compresso luxu, profligata libidine, extinctis cupiditatibus temperantiam civitati restitueritis. Ita fiet, ut nec desidia longa pacis frangamur, & incommoda brevioris fortiter toleremus: crescente ærario, auctisque singulorum patrimoniis vires reip. ad resistendum firmiores reddituri.



ORATIO XV.

DE PRÆSTANTIA & PRÆROGATIVIS JURISPERITORUM.

Recitata VI. Id. Septemb. M. DC. LI. Cum ALBERTUM BECKER, *I. V. D. renunciaret.*

CUm de modeſtia & abſtinentia Juriſperitorũ ex hoc loco verba feciſſem, occœpi mecum dubitare; nunquid etiam de præſtantia & prærogativis eorundem eſſet dicendum. Verebar enim ne illa præſtantiæ deprædicatio invidioſa eſſet, ac cum modeſtia noſtra pugnare videretur, tantumque apud me valuit hujus cogitationis verecundia, ut dilata, non abjecta cauſa, ad Carmelitam noſtrum & ſumtuarias leges animum adjicerem. Nunc autem depoſito metu, confirmatoque adverſus invidiam animo, idem illud argumentum exequi conſtitui: prętérquam

enim

enim quod non sine exemplo id facturus sum, etiam invidiæ timorem utilitas discentium superat. Quorum hunc fere sensum, eam in cursu studiorum rationem animadvertimus, ut intellecta pręmiorum magnitudine vehemẽtius inflammentur ad discendum. Adeste igitur animis, qui adestis corporibus, & mihi de dignitate, præstantia, & prærogativis Jurisperitorũ dicenti, benevolas aures prębete. Vos inprimis, optimi juvenes, quos aut parentũ pietas, aut amor reip. civili sapientię mancipat, oculos, aures, animumque advertite. Magna vobis proposita sunt pręmia: excellens dignitas est, ad quã invito. Quo attentius vos audituros, quęque in dicente non est persuadendi vis, eam in ipso argumento fore confido. Quis enim est ex omni hominum numero tam humanitatis expers, cui adeò de luto factum pectus, ut non genere honestus, sapientia pręclarus, virtute egregius haberi desideret? Est enim natura unicuiq; nostrum hic innatus sensus, ut contemtum sui inter mala: contra dignitatẽ, existimationem, & inter suos auctoritatem inter bona numeret. Inde adeò fit, ut honorem, gloriam, nominis decus strenuus & ignavus ęque sibi exoptent: sed ille asperam ac difficilem virtutis calcat semitam: hunc desperatio

industriæ malis artibus grassari cogit. Pleriquesanè, quoniam vident corruptis moribus sanctissimam esse divitiarum majestatem, eas gloriam, imperium, potentiam sequi: abjecto tristi ac difficili virtutis certamine ad opes & latifundia magno conatu, magnisque machinis contendunt. Surgit faber ante lucem, multaque fuligine deformis, duram fatigat incudem, ut tandem aliquando, faventibus marculis, ex illo cinere suo & carbonibus emergat. Perdius ac pernox subulam versat sutor, sordidasque pelles mordaci dente vellicat; abjecto olim instrumento, dimissis pueris, & occlusa taberna novum fastis muncipalibus additurus nomen. Majores animo spes mercator agitat, & municipum vota egressus, novas arces, nova oppida, novos principatus somniat. Tollitur ingenti plenus fiducia à Flevo ad Gades, inde ad Gangem: unde reversus, abjectis licet culullis, piperis tamen odorem transfert ad redemtam pretio purpuram. Postremò, adeò pectora mortalium ambitio versat, agit, rapit, ut etiam sceleribus multi, peculatu, perjuriis, veneficio, ad claritatem nominis contenderint. Qui tamen omnes voti compotes, ut maximè nomen, vultum, vestitum, reliquamque

que vitæ consuetudinem mutarint, nil nisi vulgus fuere. Non enim agri, non mancipia, non æris aurique acervus natalium pudorem eluere possunt: sola est virtutis possessio, quæ claros homines ex obscuris facit. Itaque illi plebi quidem honesti, parasitis etiam visi sunt beati: sapientibus non nisi fortunæ pila sunt: quæ cum rebus humanis illudere decrevit, quosdam ex humili fæce ad magna rerum fastigia evehere solet. At jurisperitos non lingua venalis, non parasitus venter, non plausus sportula redemtus, sed ipsa lex à vulgo segregat, & ingenti honoris incremento auctos, clarissimorum virorum numero inserit. Cujus nominis is respectus, ea amplitudo est, ut non solùm cum pedario Senatore, sed & cum curuli nobis sit commune. Nulla enim potestas reperitur, nullum post principem imperium, quod non clarissimi nominis ambitu contineatur. Ædilis, prætor, præfectus, consul, proconsul, ac siqui alii majores magistratus sunt, clarissimi tamen ordinis viri sunt. Cum his felici societate Jurisperiti jungimur, ac licet imperii exsortes, ordinis tamen consortio gaudemus. Quàm vellet his aleator misceri! quàm miserè cupit pellio! ut ringitur regulus ille cerdonum! Ego, in-

quit, plus possideo, quam decem togati: intra mea rura milvi fatigantur, agrique modus vix ipsi villico satis notus est. Tum autem in mancipiis, in supellectile, in certis nominibus tanta vis pecuniarum est, ut vel solus laboranti reip. succurrere possim. Expectent ergò togati: me ante signare, me thoro meliore fulciri decet. O fullo, fullo, quæ te intemperiæ agitant? quis oculus tibi mentem fascinat? ut oblitus humilitatis tuæ togatis anteferri postules? Non hic fortunæ, sed virtutis certamen cernitur. Te, quia virtute cares, à præmiis virtutis leges arcent, & edictum theatrale in extrema cavea spectare jubet. Vides innuentem tibi Lectium? Vides ad te properantem Oceanum? Surge cerdo, hic Senatores sedent! Etiam hinc concede, hæc equitum subsellia sunt! Non tu Cornelias, non Visellias leges times, qui cum ex retrimentis Romuli sis, per dolum ac fraudem in alienum ordinem irrepseris. Quid tibi cum Scævola? quid cum Cæsellio, cur Trebatiis es molestus! Spectant hi in quatuordecim; spectant in ipsa orchestra; nec quisquam suscitatorem timet. Meruerunt enim in podio locum magna virtute, & infracto labori cessit in theatro spectandi prærogativa. Et sanè si bonos virtutis præ-

prẹmium eſt,& ubi ingentia in rempublicam merira ſunt, ibi dignitatis apex eſſe debet, quis Juriſperitis poterit anteferri? Hi enim ſunt,ex quorum conſilio non ſolùm privati teſtaméta condũt,pacta conventa,ſtipulationes,compromiſſa,tranſactiones firmant:verum etiam magiſtratus jura dicunt, reſtituunt in integrum, mittunt in poſſeſſionem,bonis prẹmia, malis pœnas irrogant. Iiſdem dictantibus publicæ ſponſiones fiunt, fœdera ſanciuntur, domi civibus, foris ſociis ac hoſtibus leges ſcribuntur. Quẹ omnia cũ ampliſſima ſint,cum in his vita reip. ac ſalus conſiſtat, quis dubitet ampliſſimis quoque honoribus afficiendos eos eſſe, per quos hæc ex commodo atq; dignitate civitatis adminiſtrãtur? Benè igitur & ſapienter principes faciunt,quorũ lateri comes hẹret aſſiduus Juriſperitus aliquis, qui cõſilia ipſis glorioſa, reip. utilia ſuggerat, & efferveſcenté in prava animũ prudenti moderatione ad mitiora flectat Sapiétius tamẽ illi, quibus nõ ſolùm in cornu tribunalis veteris prudétiæ magiſter ſedet,ſed & in provincias cũ imperio ac poteſtate mittitur. Uno enim eodéq; codicillo & ſociorũ ſaluti, & ſuẹ cõſulũt exiſtimationi. Nã provinciarũ ſalus ex fide & integritate adminiſtrantiũ depédet; quos ſi optimos integerrimoſq;

princeps elegerit, facile vitabit illam Persarum reprehensionem, qui cum cernerent doctos assessores post terga Præsidum indoctorum collocatos, vehementer prępoſteram illam Romanorum consuetudinem riserunt. Quàm enim deforme hærere in causa judicem, respectare adsessores, identidem rogare, quid opus sit factu: perinde ac si tribunus aliquis aut centurio vite superbus, stantem à tergo militem roget identidem, quemadmodum in acie feriendus sit hostis. Quanquam non Persis solùm, & iis qui cum Populo Rom. de gloria, aut de salute contenderunt, verum etiam optimis quibusque civibus id deforme visum. Ex quibus C. Figulus SC. etiam irasci sibi populo Romano permisit, quod se Consulem non fecisset. Repulsam enim passus, cum postridiè comitiorum cives Romani pro more consulendi causa ad eum venissent, incertos juris & inanes dimisit. Abite, abite, inquit, Quirites: consulere scitis, sed consulē facere nescitis. Arrogans quidem facinus, privum hominē populo irasci, nec tamen valdè vituperandum, si à magna conscientia proficiscatur. Etenim si à consulendo consul dictus est, quis dignior consulatu, quam is, qui cum singulis, tum universis plurimùm consulit; cujus domus

tem-

templum, vox oraculum civitatis est? Quid enim sibi volebat Pop. Romanus, cum Scipioni Nasicæ ædes publicè in sacra via præbuit? quid spectabat? Nonne una in domo mentem & consilium civitatis habitare censuit? cujus calor ut per omnes diffusus partes universis ac singulis prodesse posset, ita Nasicam consulentibus, ac Jovem in Capitolio salutantibus patere voluit. Neque tamen hæc perinde accipi velim, ac si impudenti oratione omnia imperia, omnes magistratus seu urbanos, seu provinciales solis Jurisperitis asseramus. Fatemur enim esse duo quasi Reip. tempora: alterum pacis & otii, alterum belli gerendi. Illud togatis artibus & civili sapientia optimè temperatur: hoc verò animi fortitudinem, & rei militaris scientiam in comitiis spectari flagitat. Igitur si quando aut nostræ, aut sociorum injuriæ armis sint vindicandæ; tum quidem virum aliquem militari laude inclytum cum exercitu in provinciam destinabimus: sin autem victis hostibus, clausoque Iano, in summa pace atque otio degamus, parta bello gloria per togatos homines optimè retinebitur. Itaque stante republ. cum Populus Rom. primum in Italia, dein in Sicilia & Hispania, postremò in Asia & Africa,

Africa, reliquaque Europa bellum gereret, non injuste fortasse Figulus aliquis spe Consulatus dejiceretur. At postquam cum reliqua republica belli quoque cura & administratio ad Cæsares rediit, Consulum jurisdictio tota urbana fuit, nullius civis justior, nullius æquior petitio videri potuit, quam Jurisperitorum. Intellexit id Augustus Cæsar, qui pacato terrarum orbe, Atejo Capitoni fasces cõsulares dedit, Antistio Labeoni & Q. Mucio obtulit. Intellexit Tiberius, qui quanquã neq; ingenio, neq; virtute vitrici gloriam æquaret, tamen C. Cassium Longinum iisdẽ honoribus extulit. Vespasianus verò Imperator Celsum & Neratium, Hadrianus Salvium Julianũ consules viderunt. Quinetiam urbis præfectura Pegaso; prætorii vero excellentis ingenii viris Papiniano, Ulpiano atq; Paulo cessit. Ac nequis existimet solos Cæsares honores in civitate Jurisconsultis detulisse, etiam Martiis illis seculis, quibus crebra cũ finitimis, dein cũ barbaris gesta fuere bella, non exiguũ eorũ in comitiis rationẽ habitam legimus. Ex eo enim ordine Appius Claudius decemvir, P. Mutius pontifex maximus, duo Ælii, Sextus & Publius; item Brutus & Manilius, P. Rutilius Rufus, Servius Sulpitius Romæ Coss. postremi etiam in

pro-

provinciis proconſules fuerunt. Longum denique eſſet commemorare, qui, quibus comitiis, quos honores, quanta cum gloria aut acceperint, aut geſſerint: quẽadmodum nonnulli ex his imperium Pop. Romani non jure ſolum defenderint, ſed & armis amplificarint. Nequè ſane quicquam attinet, dignitatẽ ab imperiō quod geſſeris mutuari, ſi non virtuti aut ſapientiæ fuerit delatum. Ipſa illa urbana militia, quæ in cavendo, reſpondendo, conſulendo conſiſtit, ſatis per ſe dignitatis habet, nec deſiderat adventitium juriſdictionis ornamentum, cum imperiis & poteſtatibus ipſa ornamento ſit. Cujus rei teſtimoniũ idem ille Salvius Julianus nobis præbet, qui ſub Hadriano bis Conſul fuit, bis, inquam, Conſul: ſed ut hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptor monet, fuit & JC. quod magis eum nobilem fecit, quàm Conſulatus. Et ſanè ſi verum fateri licet (licere autem puto in civitate libera) brevia, inania, & caduca ſunt ſplendoris inſignia: purpura, latus clavus, ſella curulis, ſecures, atque viminei illi faſces virgarum, niſi virtute & ſapientia muniantur. Proconſul denique quamlibet ingenti civium ſociorumque ſtipatus comitatu, imperium in provincia penè regium exerceat, ſi tamen

tamen à civili ſapientia minus ſit inſtructus, vaſtum quoddam corpus videtur, cujus oculus & mens eſt æqui bonique conſultus adſeſſor. Quo autem præſtantior corpore mens eſt, eo etiam majus conſulendi munus quàm exequendi poteſtas videtur. Ipſi ſanè Imperatores tantum huic aſſidendi conſulendique peritiæ detulerunt, ut Juriſconſultos non ſolùm viros illuſtres, magnificos, clariſſimos dixerint, verum etiam amicos atque parentes ſuos nuncuparint. Grandia profectò nomina, & invidenda felicitas! quid enim majus cuiquam in vita obtingere poteſt, quàm Cæſaris amicum atque parentem appellari? Quam multi in cœlo ſibi viſi ſunt, quod à ſene & orbo heredes inſtituti eſſent; quod humiles ipſi in nomen & familiam viri clariſſimi eſſent adoptati. Magna nimis loquimur: quanti pleriſque fuit, innotuiſſe principis nomenclatori? quanti quod liberto Cæſaris amico uterentur? quod ſe clauſo labello reſpexiſſet comtrix Auguſtæ? Quid ſi iidem in conſilium conſcripti, quid ſi non in filii, ſed in parentis nomen eſſent adoptati? quantos derepentè ſe ex humilibus factos putarent! Equidem ſub Caligula provincialem quendam locupletem vocatoribus ejus ducenta ſeſtertia nume-
raſſe

rasse legimus, id est, quinque aureorum millia, ut per fallaciam convivio Cæsaris interponeretur: tanti ęstimavit ille honorem principalis cœnæ! Rideat hunc hominem Jurisperitorum natio; subsannent æqui bonique sacerdotes; qui, siquid in regali mensa felicitatis est, in triclinio principis non solùm gratis cænant, sed & sæpius, & ab ipso vocati. Eja! quid statis juvenes Themidi initiati? quin dies noctesq; legitimo studio incumbitis? Num parva vobis præmia videntur, in quibus alii maximam felicitatis partem posuerunt? an anxios & suspensos vos habet incertus comitiorum exitus, & stulta sæpè populi suffragia morantur? Quin confiditis affore aliquando diem illum, quo alius vestrum prætor, alius consul renuntiabitur: hic annonæ, ille urbi, iste etiam prętorio præfectus audiet. Ut nihil horum, in consilio tamen eritis eorum, qui amplissimis imperiis cohonestati sunt. Atque ut hæc quoque spes decollet, respondendi atque interpretandi provincia poteritis esse contenti. *Fuit enim*, ut M. Tullius ait, *semper pulchrum in urbe jus civile docere, hominumque clarissimorum domus discipulorum concursu, etiam tenui valetudine & affecta jam atate à solitudine vindicabantur.* Verùm enimverò, videor mihi jam satis verborũ

de

de dignitate Jurisperitorum fecisse: ostendamus nunc quæ præterea commoda hanc dignitatis prærogativam consequantur. Qua parte ita obruimur rerum pulcherrimarum copia, ut prope incertus hæream, unde orationis transgressio sit facienda. Sed quoniam laudantur, qui jucunda utilibus tempestivè miscent, ordiar à re, studiosi juvenes, ætati vestræ vehementer grata, quam uxoriam nuncupamus. Quid enim magis in votis juveni cupido, quàm uxor generis nobilitate, formæ gratia, & dotis amplitudine excellens? Hanc sibi docti indoctique juxta expetunt: in hac prope votorum suorum summam collocant. Itaque ardens ingenti cupidine animus magna cura, magnaque sollicitudine ambit, orat, prensat: omnia non modò quę reprehendi palàm, sed & quæ obscurè cogitari possunt, diligenter vitat. Quid enim curiositas parentis non animadvertit? quæ domus secreta non rimantur nutrix, propinqui, affines, amici? Quibus tamen deceptis (tantum potest cura & ars amandi) trahitur in partes virgo cruda, indomita, & verbis conceptis adacta, sociam se thori & utriusq; fortunæ fore spondet. Verùm tormentum miseris ingens hæret, patris dissensus, qui multos affectus, multa matrimonia jam coales-

coalescentia vi potestatis disturbavit. Queritur senex aridus & difficilis, impares fore nuptias, & inæquales aratro juvencos jungi: nefas esse puellam domi nobilem plebejis nuptiis contaminari. Neque invitis hæc auribus prætor audit: sed proco ex stipulatione agente judicium cum illa exceptione reddit. Extra quam si sponsus genere sponsę indignus videatur. Hæc parentis querela, hoc prudens prætoris consilium, nihil sanè Jurisconsulto obest, quem civilis sapientia plebeji sanguinis opprobrio liberatum interim tribunali admovet, atque objectæ exceptionis rigorem sola inficiationis constantia repellit. Ehem, quid restas pater? quin despondes gnatam egregio juveni? cur diutius moraris amantium vota? Quin mavis virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem! Tuæne opes cum sapientiæ possessione sunt comparandæ? Tibi ignobilis aut indignus videbitur, quem ipsa Themis pileo, toga & anulo cohonestavit? Quin Saliceti testimonium audis, qui negat *indigno eam nupsisse, quæ juris antistiti nupsit, etiamsi*, inquit, *esset comitissa*. Tu autem virgo: quid adhuc dubitas? quid times? cur tandiu te juvenemque torques! Liceat hic tibi occinere ex Catullianis aliquid:

Bella

Bella es, novimus, & puella, verum est:
Et dives; quis enim potest negare?
Sed dum tu nimium Fabulla spernis,
Civilis sapientiæ magistros,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Nescis enim, inepta, nescis quem virum spernas: malè subducta tibi sunt ordinum dignitatumque discrimina. Nempè siliginea tu puella es: quid, furfuraceus tibi juris magister videtur? Torquem & armillas gestas aureas? Etiam torquatus tibi maritus erit. In dote ceras numeras, & antiqua stemmata? Ignosce virgo, tanto plus in hypobolo quam in dote est, quanto majus atque pulchrius est, propria quam aliena virtute splendere. Atque etiam si lubet, mulier, ascende per gradus cognationis; demonstra nobis generis tui auctores? Reperies forte Jurisperitum aliquem, cujus opera & indefesso labore & opes hæ partæ, & claritas nominis tradita est posteritati. Sed si adhuc dubitas utrum plebejo, an equestris ordinis viro nuptura sis, testemque omni exceptione majorem desideras, quis aut gravior, aut major laudari potest, quam Sigismundus Cæsar: qui conventu utriusque ordinis coacto, doctorem eundemque equitem de loco ambigentem ita affatus dicitur: *Quin tu inter doctores potius quam equites sedes:*
mihi

mihi enim facile est ex plebe multos equites creare: ex multis equitibus ne unũ quidem doctorem. Verùm quid ago? quo delabor? qui inter viros verba facio, penè cum colo rixari cœpi. Itaq; refero gradũ, & ad alias ordinis nostri prærogativas transeo. Quanti illud existimabimus, Aud. quod Jurisperitos à tributis & vectigalibus immunes esse, seu lex seu lege potior consuetudo voluit. Nam si fiscus à publicis pensitationibus immunis est, cujus locupletandi causa eæ indicuntur: quid ni & illi immunes sint, qui fisci commoda scientia sua atque facundia tueri solent? Et si equitum agros olim immunes esse placuit idcircò, quod suis armis, suoque sumtu rempublicam tuerentur: qui minus Italico jure consulti gaudeant, quorum vox atque stylus haut paulo plus reip. præstat, quam hastæ & gladii militum. Multis quidem & illustribus exemplis id doceri posset, sed vereor ne aquę modus ante deficiat, quàm historiam novam & antiquam excusserim. Itaque nihil nunc dicam, quid anterioribus seculis in Gallia, quid in Germania gestum sit: quàm fortiter Jurisperiti pro Fredericis, pro Henricis, pro Philippis, pro Ludovicis adversus tyrannidem Pontificiam depugnarint: unus nobis instar omnium erit Carolus Molinęus: qui liberta-

bertatem ecclesiæ simul ac regni Gallici, perennibus ingenii sui monimentis, adversus vim atque usurpationem hostium ita tutatus est, ut invidia quidem eum in exilium pepulerit, virtus autem majore quam abierat gloria in patriam revocarit. Quem ab illa peregrinatione reversum, cum magnus equitum magister Momorantius Henrico II. regi commendaret: *En tibi, rex, inquit, hominem, qui quod triginta bellatorum millibus perficere non potuisti, ut Iulium Pontificem placatum haberes, unico in publicum edito libello effectum dedit.* Digna sanè res cedro, & tabulis adversus edacis vetustatis injurias munitis! Libertatem Francorum hinc Pontifex, illinc Cæsar oppugnabant: parati ad defensionem stetere rex Galliæ & Carolus Molinæus: ille gladio, hic calamo ille tormentis, hic argumentis: ille exercitu hic exercitationibus instructus. Vultis præliorum exitum audire? Quem triginta millia virorum non domuere, hunc invictus Molinæi calamus expugnavit. O memorabilem victoriam! ô triumphum admirandum! Nunc tandem arma togæ cedant! nunc laurea concedat stylo. Habent, habent Jurisperiti, quo ferociæ militari os occludere, quo togam à contumeliis sagi vindicare possint. Hanc adeò laudem tibi, Molinæe, debe-

debemus: vivis, vivesque extento ævo, & disjectis ducum trophæis, arente lauro, eversis statuis, tua gloria in æternum virescet. Desino nunc mirari, quid Carolum IV. Imperatorem moverit, ut cum magnum illud Perusinæ civitatis lumen Bartolum insignito honore beare vellet, leonem ei rubrum, bifida cauda in scuto inaurato ferocientem indulserit. Leones enim, aquilæ, tigres, & si quod animal dente, rostro, ungue, cornu nocet, virorum militantium deliciæ videbantur: his gaudent & gloriantur: pro his tanquam pro aris & focis pugnant. Nunc demum intelligo quid Cæsar senserit; nempe in uno aliquo Bartoli responso plus sibi opis atque præsidii esse, quàm in multis equitum peditumque turmis. Dignum adeò viri fortis scuto, cujus pectus civili prudentia ita sit instructum, ut innumeris hostium millibus opponi possit. Eat nunc aliquis cerdonum tribunus! roget, quamobrem ab excubiis agendis Jurisconsultos placuerit esse immunes! Aliæ sunt stationes, aliæ excubiæ, quas ICti. obeunt: Vigilant de nocte, ut manè causas orent. In atrio suo tanquam in statione collocati sunt, ut populo consulenti de jure respondeant. Idem domi adversus malos ci-

ves, foris adversus hostes excubant: causam belli jure tuentur: leges victis, conditiones obsessis scribunt: ubique dolum malum abesse, absuturum esse cavent. Ardua sanè ac laboriosa militia! & plena stomachi ac sollicitudinis! Qui enim cavet ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet, etiam cum cavisse ratus est, sæpè tamen is cautor captus est: tanta in cavendo, tamque diligenti cautione opus est. Venio nunc ad illud molestum ac suspiciosum hospitis suscipiendi munus, à quo similiter antistites juris excusatos esse placuit. In ea excusatione quid commodi, quantum felicitatis sit, prima quidem facie latet: in usu, atque ubi periculum feceris, manifestum fiet. Quis enim libertati locus relinquitur, si hospitem domi tuæ habeas, censorem secretorum & arbitrum? qui quanquam malus non est, tamen eo ipso quo invocatus venit, non potest non gravis videri. Quod si idem malus, petulans, protervus sit, ac neque manus, neque oculos habeat abstinentes, domi autem uxor sit ætate integra, aut filia grandis, ac formæ venustate excellens: nonne res plena timoris, plena suspicionum, & occulti cujusdam æstus est? Quàm multi enim aulæ inprimis indulgentioris alumni, similes Verri

sunt,

ſunt, qui publico duplomate iter facientes, quamcunque in urbem venerint, ſtatim per emiſſarios ſuos, nequiſſimos turpiſſimoſque homines inveſtigant, ecquæ virgo ſit, aut mulier digna, quamobrem plures ipſi dies in civitate commorentur. Quod ſimul atque nuntiatum erit, tanquam parùm lautè alibi diverſentur, ad parentes puellæ commigrare volent. O gravem hoſpitem, ac quovis hoſte truculentiorem! Quod ille audierit, quod viderit, quod concupierit, niſi ad nutum præſtò fuerit, niſi libidini ejus cupiditatique paruerit, dato ſigno immittentur homines armati, expugnabitur domus, paterfamilias ipſe ad mortem uſque mulctabitur. Aude tunc tu Quiritium fidem implorare! aude ad leges ac judicia provocare: Quem tu reum facies, is in te teſtimonium dicet: in cujus crimen inſcripſeris, is idem judici in conſilio erit, & rogatus de capite tuo ſententiam dicet. Tota præſidis cohors, comites, accenſi, lictores, præco, cocus, mulio, omnes infeſti atque irati erunt. Poſtremò cum illo Philodamo Lampſaceno ſpectaculum civitati fies acerbum & miſerum: quod famam uxoris, pudicitiam liberorum, vitam parentum defenderis, pro ea re in medio foro virgis cæſus ſecuri ferieris.

 O tri-

O triste supplicium! O sortem sociorum intolerandam! Felices contra Jurisperitos, quos ab hac tyrannide clementia Cæsarum liberavit! Veniat ad nos metator! instet hospitiorum divisor! nuntiet magna cum trepidatione gravem Præsidis adventum! Adversus terrorem & ingentes minas firmissimum hoc nobis præsidium erit, quod Jurisperiti sumus: quo non solum in urbe, sed & in provincia: nec in continenti duntaxat, sed & in transmarina, atque in extrema solitudine tuti esse poterimus. Magna hæc, Aud. & solido auro expendenda præmia sunt: estne aliquid amplius, quo Jurisperiti se jactare possint? Sunt profectò alia multa; sed ne necesse sit omnia consectari, agite, ad judicia transgrediamur: quæ cum aliis soleant esse terrori, ICtis tamen aut optanda, aut certè declinanda magis, quam metuenda videntur. Primùm quidem nullæ ferè hodiè crebriores querelæ, nullum frequentius judicium quam de injuriis. Ac licet nemini contumelia sua parva videtur, non perinde tamen eam lex æstimat, atque animus ejus, qui dicto factove læsum se esse queritur. Verum siqua Juris sacerdoti injuria facta sit, acrius lex insurgit, & graviorem pœnam damnato irrogare solet.

Nam

Nam si atrocem injuriam persona facit, quæ magis atrox cogitari potest, quàm juris antistiti facta, qui vim atque contumeliam ab aliis arcere solet, cujusque vel solum nomen magno ab injuria divortio separatur. Crescat igitur æstimatio pro contumeliæ magnitudine, quemque personæ reverentia cohibere non potuit, eum acerbitas pœnæ mansuetiorem reddat. Qua parte, tametsi propero, non possum mihi temperare, quin vel in transitu Mediolanenses laudem, quorum legibus præclarè cautum est, ut siquis doctori publico injuriam intulerit, præter pœnam ordinariam ducentis aureis extra ordinem mulctetur illata ejusdem mulctæ parte collegio Jurisconsultorum; quoniam injuria uni ex collegis facta, totum quodammodo collegium infamare videtur. Porrò si cui in judicio testibus fortè opus sit, ex alia provincia producendis, constat evocari etiam invitos posse: qui licet sumtu producentis iter faciant, ipsa tamen profectio plus satis molestiæ, sæpè etiam pericli habet. Prout enim varii sunt rerum humanarum casus, interim fluminis inundatio, interim tempestas vexat, nunc pirata litora legit, nunc prædo viarum latera obsidet. Horum gladios ubi effugeris,

compositum lecto perfidia hospitis necabit. His periculis, quibus vitandis vix ulla diligentia, ullus comitatus satis est, Jurisperitos dignitas liberat: nam neque evocari, neque iter ingredi testimonii dicendi gratia coguntur. Iniquissimum enim foret, homines publicis commodis invigilantes abstrahere à studiorum contentione, tædioque peregrinationis confectos, quos integros acceperis, fractis viribus amittere domum. Quod si militem fas non est avocare à signis, ne opera ejus tempore suo necessario respublica careat: quanto minus fas erit, Jurisprudentes avocari à foro & curia: quippe, qui plus domi consilio, quàm foris milites armis reipublicæ præstent. Quid igitur, inquis, fiet? egone tuæ dignitatis gratia caussa cadam, & quia testem evocare non licuit, judicio me succumbere æquum est? Minimè gentium: ita enim subducta est legislatori ratio, ut & testis dignitati, & litigantis necessitati prospexerit. Proficiscere ipse in provinciam, quemque leges evocari non patiuntur, hunc suo judici interrogandum exhibeto. Non deerit diligentiæ tuæ fructus: testimonio enim obsignato instructus perinde vinces, ac si testis coram in judicio interrogatus fuisset. Hoc amplius siquando

usus

usus venerit, ut Jurisconsultus sua sponte judicio sistat, aut jubente lege parere cogatur, non leve tamen inter plebejum & prudentem conditionis discrimen reperies. Ille nudo capite stare, revereri insignia Prætoris tenetur: huic verò & salutationis reverentia, & sedendi cum judice honor defertur. An æquum erat, stare virum ad pedes præsidis, qui in cornu tribunalis assidere solet? quemque lex equestri honore clarum esse voluit, huic derepente rem, quasi ademto equo, ad pedes redire? Sanè quantum ad causam attinet, quæ in judicium deducta est, durus quodammodo & inexorabilis judex esse debet, nec quicquam aut gratia, aut ambitioni indulgere: verum si ordinem atq; processum judiciorum spectes, non vetat diva illa judicantium præses, quo minus honori atq; dignitati personarum aliquid deferatur. Est igitur non leve dignitatis argumentum, sedere te, cum litiges; cum reus sis, salutationis reverentiam tibi deberi: sed multo majus atq; illustrius, mea quidē opinione, quod quæ in judiciis aliis terrori sunt, ea Iurisperitus non extimescat. Quis enim non timet pœnales actiones? quis non carcerem horret & vincula? cui adeò ferox ac ferreus animus, ut non exanimetur ad conspectum eculei, virga-

rum,& securis. Et pœnales quidē actiones præterquā quod patrimonio graves sunt, etiā hanc adjunctam acerbitatē habent, ut exhausto cēsu, si qui forte minus idonei reperiantur, corporis coercitionē extra ordinem sustineant. Hujus acerbitatis metu nos dignitatis reverentia solvit, quę tanta est, ut penè sacrosanctum corpus Jurisperiti sit: quippe, quod nec virgis cædi, nec cruciatu aliquo distendi possit. Nā si rectè Porcia lex à tergo civium Romanorū virgas removit: quanto rectius ab iis removentur, quos non solùm toga cives, sed & annulus equites Romanos arguit. Carcerem verò & vincula adeò Jurisperitus non timet, ut sive improbus eum delator arguat, sive justus accusator in crimen inscribat, non tamen Tulliano aut latumiis sit mancipandus. Quin contra datis vadibus, aut repromissione de sistendo facta, ire ei licet, causæque defensionem domi adjuvantibus amicis meditari. Locus tenebris obscurus, situ deformis, odore teter eos teneat inclusos, quos aut suspicio, aut mores, & vita licenter ac flagitiosè acta propius admovent reatui. Jurisprudentes ab hac suspicione non solum vitæ dignitas, sed & ipsa professio vindicat. Qui enim æqui bonique profitetur artem, quo teste, quo judice causæ premi

ſolent, is niſi tabulis, teſtibus, argumentis vehementer urgeatur, non facile ita vixiſſe creditur, ut mores cum profeſſione pugnarent. Itaq; ſiquando uſus venerit, ut de cuſtodia Juriſperiti nobis ſit decernendum, magnum illum plebis tribunum Gracchum imitabimur, qui cum L. Cornelius Scipio Aſiaticus ob repetũdas pecunias in carcerem eſſet rapiendus, ſecedés à collegis cum plerique grave ac horrendum carmen expectarent; quippe qui ſcirent, inimicitias ei cum Scipionibus intercedere: hujuſmodi decretum cõpoſuit: CUM L. CORNELIUS SCIPIO DIE TRIUMPHI SUI, ANTE CURRUM ACTOS HOSTIUM DUCES IN CARCEREM CONJECERIT, INDIGNUM ET ALIENŨ A MAJESTATE POP. ROMANI VIDERI, EODEM IPSŨ DUCI. ITAQ; ID SE NON PASSURŨ FIERI. O virũ admirabilem! ô decretũ omni ęvo deprædicandũ! tuo nobis Gracche ſtylo, tua diſciplina opus eſt. En rapitur in carcerẽ ille ęqui boniq; ſacerdos; quin ſtylus ſtringitur! quin decretũ interponitur: CŨ SERVIUS ILLE SULPITIUS TEMPORE VITÆ SUÆ MULTORŨ CIVIŨ BONA, FAMAM, VITAM, AB INJURIA DEFENDERIT, VINCTAQUE ANTE SE SCELERA, VIM, CÆDEM, LIBIDINEM, RAPINAM IN CARCEREM EGERIT, INDIGNUM MAJESTATE VIRI VIDERI IPSŨ IN CARCE-

CONJICI. Quis eſt, cui injuſtum decretum, aut gratioſa interceſſio videri poſſit: niſi fortè qui ignorat non minorem reverentiam togæ atque ſago deberi. Quod ſi is togæ honos, ea debetur reverentia, ut qui hanc indefeſſo ſtudio meruit, à carceris ſqualore immunis ſit; quis eculeo imponi, quis fidiculis diſtendi, quis ardentibus laminis latera ſulcari ſuſtinuerit? Quid enim gravius viro egregio, quàm tortor & carnifex, quem leges Cenſoriæ non modò foro, ſed etiam cœlo ac ſpiritu eodem, atque urbis domicilio carere juſſerunt? Quid autem barbarum magis & immane, quam cruciatu diſtendi os illud venerandum, quo Themis loquitur; per quod princeps imperat, & judex decernit; ex quo tanquam ex ſacro tripode, quot reſponſa, tot oracula prodeunt? At terreri fortè Juriſconſultus poterit! Non, non eſt profectò, quod accuſator ſibi ludibrium deberi putet, aut oculos ſuos trepidantis inimici ſpectaculo paſcere velit. Habet enim & metus mali non futuri ſuam indignitatem. Rectè adeò paraſiti filia: *Herus ſi malum ſervo ſuo minatus eſt, tametſi id futurum non eſt, dum tunicas ponit, dum virgæ expediuntur, quanta afficitur miſeria?* Quod ſi terreri ſervo grave eſt, qui domi


mi tergum habet, & virgas ruri natas contemnere solet: quanto gravius erit homini libero, atque dignitate conspicuo, si carnifex ante oculos oberret, si virgas expediri, catastam, fidiculas, & reliqua sævitiæ instrumenta apparari videat; incertus & anxius, quo hæc omnia sint evasura. Cesset ergo cruciatus? Cesset etiam metus atque expectatio futuræ calamitatis. Postremò, etiamsi fortè Jurisconsultus aut in crimine deprehensus, aut testibus, tabulis, argumentis convictus sit, non tamen quavis pœna est plectendus. Benè enim & sapienter à majoribus nostris constitutum est, ut quia finis pœnæ emendatio peccantis est, non omnes eodem modo puniantur. Sunt qui verbis, sunt qui non nisi verberibus ac sensu aliquo doloris mitescunt. Itaque aliter servorum contumaciam frangimus, aliter liberorum lasciviam coercemus. Tum autem ex liberis severius cum plebe, remissius cum honestis agimus: illos enim, quoniam servili ingenio sunt, non nisi formido pœnæ continet: hos verò, non tam pœnæ metus, quam admissi pudor, & recti conscientia emendare solet. Cum autem inter honestos familiam Jurisperiti ducant, diligenter cavendum judici, ne aut liber-

tate, aut existimatione sua aliquid indignum patiantur. Abesse debent à corpora virorum ornatissimorum servilia illa supplicia, ludus, virgæ, crux, & infames laquei. Non securi, sed gladio, non bestiis, sed exilio Juriconsulti sunt plectendi. Meretur enim excellens eorum virtus & sapientia, ut quemadmodum in vita à plebe segregantur, ita etiam in morte suppliciorum lenitate discriminentur. Plura quidem hujus generis privilegia conquiri atq; commemorari possent, sed vereor ne in imměsum excrescat oratio. simul autē nobis cavendū, ne dum omnia persequimur, vera falsis miscuisse videamur. Dissimulari enim non potest, fuisse auctores nostros, dum in possessione scribendi se vident esse constitutos, in congerendis prærogativis plus satis faciles atq; liberales. In quo vitio ne deprehendamur, satius est aliquando pausam facere, quàm sinè modo, atq; sine dubia pro certis obtrudere. Hęc ipsa quę memoravimus tāta sunt, ut eos quos civilis sapiētiæ amplitudo hactenus à studio deterruit, facile impellere, atque ad audendū excitare possint: quandoquidem natura ita comparatum est, ut honos alat artes, omnesq; ad studia præmiorū magnitudine incendantur. Quare ad vos, juvenes præstantissimi, revertor,

quo-

quorũ causa hanc orationẽ exorsi sumus? Audivistis quę vobis proposita sint commoda, quot honorum prærogativæ: tot profectò, tantæque, quantæ non temerè alterius sectæ magistris propositas reperiemus. Nam, si pulchrum est, hominem obscurum detersis natalium sordibus inclarescere, juris civilis scientia vos reddet clarissimos. Si magnificum videtur à plebe ad equites, ab equestri ordine ad Senatum transire, nulla est cõpendiosior via, quàm quæ per juris tramites deducit. Si humanis propè bonis majora, fasces, purpura, lictor, sella curulis, hæc quoque civilis sapientia vobis largietur. Postremò si regium videtur primas agere in foro, in comitiis, in concione, in palatio, hoc regnum legitimæ scientiæ feretis acceptum. Agite ergò, agite juvenes, ad adyta Themidis, & intima civilis sapientiæ penetralia magnis animis contendite. Erit tempus, quo nomen vestrum, nunc vix viciniæ satis notum, in factis leget posteritas; laudabunt responsa futura secula; quique nunc clientium caussas nominatis auctoribus defendere soletis, ipsimet olim inter auctores & exempla eritis. Quod si fortè deficere spiritum in contentionis ardore senseritis, tum vos nomen hoc nostrum, no-

men cum astris natum, nomen quod jubar solis & lucem ęmulatur, quod purpuram olet, & imperia spirat, quo pars optima civitatis nuncupatur: nomen, inquam clarissimum ex alto suspensum, labentem jam spiritum revocet, atque è carceribus emissos ad extremam studiorum metam deducat. Quod quanquam assequi difficile est, cogitandum tamen, nihil omninò rerum naturam facile simul ac magnum fecisse, pulcherrimisque rebus adnexam esse efficiendi difficultatem. Hanc tamen ipsam vincit alacer industriæ spiritus, nec quicquam tam arduum, ad quod non virtus indefessa eniti possit. Audeamus modò; nec desperemus assequi nos posse antecedentes: qui si ipsi desperassent, præterire nullo modo eos potuissent, quos nunc à tergo destitutos ac derelictos videmus.



ANTO-

ANTONII MATTHÆI ORATIO XVI. IN CURIONEM.

Recitata XVI. Kal. Junji. M. DC. LIII.

Cum Iuvenes Doctißimos
JOHANNEM STRICK,
RUMOLDUM MODE,
Summis in Vtroque Iure honoribus ornaret.



Uoties ex hoc loco verba mihi facienda esse video, toties ferè tenuitatis conscientia anxium atque suspensum me tenet. Non solùm enim dicendi facultatem deesse mihi sentio; verum etiam crebræ panegyres, consumtis penè materiis in angustum coegerunt copias nostras. Nam quæ citra cujusquam invidiam atque odium dici potuerunt, de his & sæpè & à multis verba jam facta sunt. Quæ verò cum aliquo perorantis discrimine conjuncta sunt, ea omnes, quantum datur, libenter declinamus. Sic fit, ut neque

que tacere sinè dedecore, neque declamare sinè periculo liceat. Verùm quoniam video, nulla ratione fieri posse, ut in hoc amplissimo consessu sileam, vos, Auditores, majorem in modum rogo, ut non solùm in cognoscendo æquitas, sed & in ignoscendo humanitas vestra præsidium sit meæ tenuitati. Etenim si pace vestra licuerit, C. Curionem hodie apud vos reum peragam: cujus crimina quanquam morte autoris olim abolita atque extincta sunt, interest tamen reip. memoriam mali civis etiam post mortem damnari. Multi enim curiones hodie in civitate grassantur: quos nisi ex illius ingenio caverimus, nihil causæ video, cur quisquam vitæ suæ, rerum ac fortunarum securitatem aliquam sperare possit. Nec est, aud. cur ejerato judicandi munere, de hominis nobilis capite cognoscere formidetis: non rex fuit Curio, neq; gentium imperator: ac ne opibus quidem insignis, quandoquidem has quoque venerari avaritia docuit, utpote qui nihil in censu habuerit prȩter discordiam principum. Hujus ego non adolescentiam flagitiosè actam, non honores contrà legem gestos, non provincias spoliatas querar, sed hominē novi planè & inscripti criminis arguam. Agite, judices, in hanc enim horam nomen

vobis mutandum est; animum advertite: digna est hæc causa vestro calculo: quandoquidem in ea incidimus tempora, quibus expedit mores præsentes præjudicio jugulare vetustatis. C.Curio judices,cum jam alia quædam in republica pravè & consuluisset, & fecisset, quorũ nomine si leges valerẽt, dies ei ad populũ dici poterat: tum invitãte impunitatis illecebra,eo ambitionis atq; amentię progressus est,ut vitæ Pop.Rom.ac securitati civitatis protervè illuderet. Patri enim defũcto funebre editurus munus,cũ opibus apparatuq; non posset,ingenio principes civitatis æquãdos sibi cẽsuit. Quippe, ut olim virtutis,ita sequiori seculo ostentationis æmulatio quędam esse cœpit: perindeq; turpe habitum ludis vinci,atq;acie superari:nec minus flagitii scenã civi,quam hosti campũ atq; castra cessisse. Fecerat M.Scaurus in ędilitate sua opus maximum omnium, quæ unquam fuere humana facta manu: non tẽporaria mora,verùm etiam ęternitatis destinatione. Theatrũ hoc fuit scena triplici in altitudinem, CCCLX. columnarum. Ima pars scenę è marmore fuit: media è vitro, inaudito etiam postea luxurię genere. Summę tabulis inauratis colũnę: imæ duodequadragenum pedũ. Signa ænea inter columnas tria millia numero.

Cavea

Cavea ipsa cepit hominum LXXX. millia. Reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Thusculanam villam reportatis quę superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis ad sestertium millies concremaretur. Quid huic opponeret Curio? cui neque vitricus Sylla, neque Metella mater, proscriptionum sectrix, neque M. Scaurus pater, toties princeps civitatis, & Marianis sodalitiis rapinarum provincialium sinus. Sciebat ille pessimum esse, quicquid geritur à desperantibus: contrà ingenium ipsa plerumque contentione gliscere, nec esse difficile præterire antecedentes, si cursus duramento sui confirmetur. Itaque cum neque marmore, neque signis, neque veste Attalica Scaurum superare posset, minori impensa vincere, hominemque ligneo ariete expugnare decrevit. Theatra juxta duo fecit è robore, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se aversis, ne invicem obstreperent scenę, & repentè circumactis ut cōtractarent, postremo jam die descendentibus tabulis, & cornibus inter se coëuntibus fecit amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edidit.

Quid

Quid primùm hic querar? quid accusem? auctorem, an artificem? ausum aliquem hoc opus locare, an redimere? parere, an jubere? Nemo equidem inficias ibit, magnam fuisse artificis improbitatem, qui tanto cum civitatis discrimine ambitioni unius Tribuni inservire sustinuit. Vilius esurire faber debuit, quæstumque cum salute potius, quam cum periculo multitudinis conjunctum instituere. Verùm longè improbior architecto Tribunus fuit, qui hoc invenire, qui inventum exequi ausus est. Quid enim ille sibi volebat? quid spectabat? Præclarum adeò facinus, si Parthis infidam parasset machinam: Si pensili caveæ aut truces Cimbros, aut immanes inclusisset Scytharum catervas. Non hæc est fortuna Pop. Romani. Adit ipse per ludum mortis discrimen, dumque pugnas auctoratorum spectat, nescit miser, nescit inquam, se magis auctoratum quam gladiatores. Pendere enim ex nutanti specula, atque immemorem periculi, neque prospicere quicquam, neque cavere sibi adversus imminentem mortem, morte ipsa tristius mihi videtur. Etenim milites tametsi gravia pro republica sustineant expeditionum momenta, tamen gnari discriminis antequam

quam in hostem eant, & testamenta condunt, & suprema ad uxores liberosque mandata scribunt. Longè deterior est spectatorum sors, qui ignari periculi neque heredem nuncupare, neque supremum vale charissimis suis dicere possunt: similes illis qui à tyrannis ad cænam, atque inter ipsa mensæ sacra à cœna ad cippum rapiuntur. At quis tandem populus terrarum ista passus est? num viles Cappadoces? aut ad servitia Syri, ad ludum & arenam Thraces nati? Non sunt tanti Curioni barbaræ gentes: nobilitate auctoratorum inclarescere satagit. Depugnavit ei populus ille terrarum victor, & domitor totius orbis: qui gentes & regna diribebat: qui jura externis dabat: is in machina pendens plausit ad suum periculum, nec sensit brevem voluptatem discrimine salutis se redemisse. Atque hoc tametsi sua natura gravissimum est, levius tamen videri poterat, si brevis fuisset munerantis furor, dimissis spectatoribus, antequam crudum opus cederet ponderi. Est enim & mora quædam improvisi casus, nec semper ruit infida moles: sæpè sensim dehiscens cavendi spatium lar-

largitur deprehensis. Curio verò non contentus periculo unius diei, variavit improbus feralem suam magnificentiam, fessis turbatisque ordinibus, & amphitheatri forma custodita, novissimo die victores è gladiatoribus suis produxit. Quae vilitas animarum ista? Quis lusus, depositis ad tabulam tot civium capitibus? Et querimur adhuc de furculis Caudinis: odimus Thrasymenum lacum, & tinctas cruore Quiritium Cannas. Quasi verò Poenorum gladii quicquam ad ludos Curionis. Tot amissis oppidis, tot coesis legionibus, tanta defectione sociorum, cum jam agrum muris proximum insideret Hannibal, ac fiducia victoriae argentarias urbis tabernas hastae subjecisset, non tamen despondet animum Popul. Romanus: sed cladibus suis erectior, praeter occidentis imperium, orientis quoque habenas vasto pectore amplexus est. Curioni verò tam instructum ad perniciem civitatis ingenium est, tam efficax inventio, ut tota vita nihil aliud quàm interitum patriae meditatus videatur. Huic si vel joculo libuerit, luxata machina totus exossabitur Popul. Romanus, ac quem neque truces Galli, neque per-

fidi

perfidi Pœni, nec immanes Teutoni delere potuerunt, hunc universum uno quasi ictu Tribunus plebis ad orcum demittet. Athenis, judices, Demetrio regnante, hominem impurum atque scurrili impudentia Stratoclem fuisse legimus: cui cum aliquando focaria obsonatum missa, cerebra & colla in foro emta ad cœnam apportaret: Papæ! inquit, hæc tu nobis Philacium obsonia adfers, quæ nos rerum publicarum gubernatores ludimus pila? Quid planius obsonanti coquo Curio dicere potuisset? Tu nobis avium cerebella, tu clunes gallinarum adfers? nugæ sunt magnæ scari viscera, anseris jecur, & siquæ aliæ catillorum cupedia memorantur. Mihi capita civium Romanorum pro pila sunt: pro disco ego dorsa, pro nucibus crurifragia ludo. Fritillus noster hæc cavea est: inde ego tibias atque brachia tanquam talos mitto. Ex hac machina hominum viscera perinde ac missilia spargo. O Cai, Cai! quam tu nullius pretii princeps fuisti, qui ut Pop. Romanus unam cervicem haberet, optare soles! Quanto te ingeniosior Curio noster, qui tot cervices unius populi cavea sua veluti carceri inclusit, perituras illicò, si fessi cardines impositum effuderint onus. Non exiliis, non sica,

non

non veneno grassandum; singulorum hæc civium fata anticipant: universos si delere velis, ludi Curionis imitandi sunt: nihil his efficacius: brevi momento illos orbis dominos trabium tabulatorumque sepeliet ruina. Quàm tristis ibi rerum facies! quàm deformes corporum acervi! ubi videas alios è ruina tanquam è prælio auferri; alios quibus casus pepercit pondere incumbentium intercepto spiritu strangulari: alios, quos vita necdum deseruit, abrupta parte corporis perdios atque pernoctes ululatibus omnia ac gemitu complere. Pugnant interea superstites ad commune bustum, ac dum quisque pignora sua voce, vestitu, signisque aliis noscitat, auget cæsorum cumulum scrutantium discordia. In hoc tantum reip. discrimen quis tribus triginta quiinque conjecit? Curio. Quis de vita Pop. Romani tanquam de victo hoste triumphavit? Curio. Quis tyrannis ostendit, quemadmodum Pop. una morte perire possit? Idem Curio. At quo tempore, judices, hoc eum ausum existimatis? Credo florentibus civitatis rebus, cum jam plebs in immensum aucta Janiculum circumspectaret, aut montem Aventinum: cum tabulas novas, aut legem agrariam, aut colonias per seditionem flagitaret, homo

homo cautus & providus oſtendere voluit, quemadmodum ſinè bello civili, exonerari poſſet gravis jam reip. ſentina. Equidem fœta civium urbs, & proſpera imperii fortuna, tametſi magnitudinem ſceleris nequaquam elevare poteſt, non repugnabo tamen, judices, quo minus reus abſolvatur, ſi ille reipubl. quoquo modò prodeſſe voluit. Verùm ita res eſt, ut neque ſeditionis metus, neque belli civilis periculum, ſed ſola atque unica ambitio hominem ad id facius impulerit. Videbat enim multos ſpectaculorum magnificentia inter principes civitatis numerari, & in pari dignitate diſparem tamen candidatorum ſortem ex ludis pendere. Meminerat enim quid patrum memoria Q. Tuberoni contigiſſet: quemadmodum ille cum eſſet L. Pauli nepos, P. Africani ſororis filius, nimia parſimonia prætura excidiſſet, cum triclinium ſternere populo juſſus, pelliculas hædinas, & vaſa Samia expoſuiſſet. Itaque tametſi Epicuri de grege porcus eſſet Curio, ne tenuior ludorum apparatus Stoicum argueret, rem ejuſmodi aggreſſus eſt, quæ ſi populus periculum ſuum intellexiſſet, ipſa trepidatione exitium ei erat allatura. Temporis autem delectum adeò ille ſuſque deque habuit, ut alieniſ-
ſima

ſima tempeſtate, cum civitas multis jam cladibus attrita atque exhauſta eſſet, ludos non tam patri, quam Pop. Romano funebres celebraret. Erat tunc in recenti memoria ſanguine ſcriptum Mithridatis edictum, quo is in Aſia centum & quinquaginta millia civium jugularat. Verſabantur adhuc in oculis Pop. Romani immanes illi Cimbri, qui ſuperatis Alpibus quinque conſulares exercitus deleverant. Tum autem Spartacus & fugitivorum cohortes, & bellum ſociale, poſtremò civile Mario & Sylla ducibus geſtum tantum hauſerant Latini ſanguinis, ut ſi vel ex terra armati Quirites naſcerentur, vel, ut in fabulis Poëtarum eſt, ſatis dentibus provenirent, non tamen tam brevi temporis ſpatio, tanta imperii jactura potuerit ſarciri. Ex his igitur cladibus cum nondum reſpiraſſet Pop. Rom. cum adhuc ſaucii curarent vulnera, multique velut naufragi in ſcopulis hęrerent, uvida in ſole ſiccantes veſtimenta, Curio populum, duobus veluti navigiis impoſitum, tam propè exitio admovit, ut ab inferis non longius abeſſe videretur, quam ipſa machina à ſuperficie ſoli aberat. Enim verò multis modis hic nóbis reprehendendus eſt: neq; ſolùm viris ſapientibus, ſed & ipſis illis, quorum opera in ſcena

ausus est, comœdis nimirum ejus rem atrocem visam arbitror. Quid enim senex ille sub Demeæ persona, cum adolescentes, eorumque ad prava magister Syrus, peracto flagitio potassent? *In ipsa turba*, inquit, *atque in peccato maximo, quod vix sedatum satis est, potastis scelus: quasi re bene gesta*. Senatus verò Romani, quę fuerit de his rebus existimatio, quod judicium, vel solus L. Fulvius argentarius docere potest, qui cum forte bello Punico secundo, interdiu cum corona rosacea è pergula in forum prospexisset, ex autoritate Senatus in carcerem ductus, nec ante finem belli emissus est. Tam grave videbatur, in calamitate communi, quemquam privatim inter rosas & flores deliciari velle. Tu verò Curio in maximis Populi Rom. calamitatibus, vixdum funeratis qui ceciderant, non solum sæpe coronatus potasti, verum etiam ludos, quasi re benè genè gesta, cum pernicie civitatis exhibuisti. Libet hîc rogare: quis tibi satisdederat operis nomine? vitam Populi Romani salvam fore quis spoponderat? Num solidius hoc theatrum tuum, quam Attilii fuit Fidenis factum: cujus ruina, Tiberio imperante, quinquaginta millia hominum vel obtrita, vel debilitata sunt; Tanti imperio constat munerantium amentia:

mentia: nec satis eis multa paria gladiatorum jugulasse: ipsum populum in arena laniare gestiunt. Spectent jam ludos securi Quirites, & pendente ruina plaudant furori editoris. Eja, quid trepidatis? Curionis hæc cavea est; qui pietate sua meruit, ut cœlum vetet ruere fluctuantem orchestram! Sed næ ego ineptus, qui in re seria jocari sustineam. Exclamationes rei atrocitas desiderat. O stultos Romuli ac Remi nepotes! tanta vos spectaculorum voluptas tenet, ut neque volantem caveam, neque insidentis multitudinis pondus formidetis. Neque verò spectatis solùm, sed etiam plauditis auctori feralis muneris. Enimverò facitis, Quirites, rem vehementer absurdam: nam si quis vel arcem hosti cesserit, vel civem eidem tradiderit, aut alio quo modo securitatem populi læserit, gravissimum in eum majestatis judicium redditur. Siquis verò totum penè populum ambulanti caveæ incluserit, ac præsentissimo exitio per ambitionem admoverit, scelere solutus etiam plausu & honore donabitur. Ac ne illud quidem pensi habetis, quis sit iste tam audax, tam impudens perniciosi muneris auctor? Num Appius aliquis, innata generi superbia plebi infensus? Num ex Camillorum aut Coriolano-

rum gente, aut ob exilium tribubus iratus Livius aliquis vel Africanus? Minime gentium. Quo magis indignemur, Tribunus plebis eſt: quem magiſtratum majores noſtri idcircò ſacroſanctum eſſe voluerunt, ut plebis libertatem ac vitam adverſus patritiorum injurias tueretur. Hac ille poteſtate ſic abuſus eſt, ac ſi non ad auxilium ſingulorum, ſed ad perniciem univerſorum inſtituta eſſet. Conſiderate, quæſo, quam ſit hoc indignum, quam nullo modo ferendum. Tribunum plebis ſi quiſquam noſtrum digitulò attigerit, caput ejus ſacrum judicari: interfici à quovis impunè poſſe. Contra ſi idem Tribunus populum in theatro penſili, tanquam damnatum in ſaxo Tarpejo collocaverit, non ſolùm nullam pœnam eſſe, ſed etiam calatis comitis faſces ei atque provinciam deferri. Atqui quo ſanctior cujuſque poteſtas eſt, eo minus in alios licentię habere debet: nullo certè modò in eos ſtringenda, quibus tuendis non oppugnandis cõparata eſt. Ad ſummam autem quid intereſt, utrum populum vi aperta oppugnes, an ita dementes, ut ſciens prudenſq; in caveam ſe, tanquam in aliquas furculas includi patiatur? Si verum amamus longè gravius atque periculoſius eſt in inſidias præcipitare, quàm in mucronem

nem hoſtilem incidere. Vim enim vi facile repellimus: inſidias verò cavere, atque ubi incideris explicare poſſe, hoc ſanè opus, hic labor eſt. Verùm enim verò dicet forte aliquis, fruſtra nos Curionis crimen exaggerare, cum non dolo, ſed culpa admiſſum ſit, nec impietate & furore, ſed imprudentia quadam peccaſſe videatur: Itaque Cenſorum quidem notam meruiſſe: capitis verò nequaquam anquirendum. Quaſi verò culpa omnis criminis expers ſit, ac non pœnariæ leges laſcivos quoq; apprehendant. Multos eo nomine virgis cæſos, multos in vincula ductos, alios in inſulam relegatos legimus. Quin etiam gravius leges inſurgunt, atque capitale ſupplicium delinquentibus irrogant, ubi ſinè dolo quidem, ſed peſſimo exemplo peccatum animadvertunt. Itaque ſiquis per laſciviam homini mortis cauſam præbuerit, proximam exilio pœnam ſuſtinebit. Si abortionis vel amoris poculum præbuerit, eoque mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio afficitur. Quāvis enim dolo malo factū non ſit, eſt tamen exēplo grave, ad libidinē alterius civē de morte periclitari: gravius ad libidinē unius periclitari multos: illud morte dignū, ex libidine unius totā prope civitatem inter mortis ac vitę con-

finia perdere. Quapropter si Attilius ille, quiFidentinę cladis auctorfuit,ob eam rē in exilium actus est,tametsi non dolo,sed culpa deliquisset,quisCurioni nostro parcendum duxerit? Quanquam enim illius culpam ruina approbavit, inter utriusque tamen admissum multũ interesse deprehendemus. Attilium quæstus, Curionem ambitio ad opus impulit. Ille fundamenta non per solidum; hic nulla omninò subdiderat. Libertinus Attilius, Tribunus plebis Curio fuit. Huic salus populi, illi conductoris diligentia commissa fuit. Et ausit aliquis Attilio comparare Curionem?Curionem istum?istum Curionem, qui ut tribunitiis suis concionibus gratiam conciliaret, tribus triginta quinque ex infida machina securas ruinæ pendere jussit? Qualis hic in rostris? Quid non ausurus apud eos quibus hoc persuaserat? Verùm, ne quis existimet unicũ hoc esse Curionis admissum, condonandum homini nobili,in cujus familia tres continua serie oratores numerabantur: cum tertius esset ipse ingenio perspicaci, magnaque dicendi vi præditus: agite, judices, reliquam quoque vitam ejus,sed breviter cognoscite, ut quo animo ad remp. gerendàm accesserit, penitus perspiciatis. Meministis haut dubiè, quemadmodum

Verrem

Verrem repetundarum postulaverint Siculi: pendente lite cum Hortensius forte Verris patronus Cos. designatus esset, ac homini nocentissimo ad fornicem Fabianum occurrisset Curio, magna voce, & in turba quidem gratulatus est ei victoriam; tanquam causa illa non in judicum religione, non in testium tabularumque fide, sed in comitiis consularibus esset constituta. Quis furi, nisi fur gratulatur? Quis mœchum amat, nisi mœchus? crudelem quis non odit, nisi ipse crudelis? Plus Siculis damni Verres dederat, quam centum fugitivorum cohortes: libidinis autem & crudelitatis vestigia tot ac tanta reliquerat, ut non pœnas inde, sed præmium aliquod expectasse videretur. Hunc tu Curio in turba appellare, huic victoriam magna voce gratulari audes? Nempe dissipatis luxu bonis, cum in magno ære alieno esses, dignus tibi laude, dignus imitatione videbatur, qui viam monstraverat, quemadmodum quod stupris prodegeras, per peculatum & scelera suppleres. Ostendisti sanè te non pluris vitam, quam famam & existimationem Pop. Rom. facere. Hæc enim absoluto Verre omninò peritura erat: illam infida illa machina tua in æternum discrimen adduxisti. Idem hic Curio est, judices, qui

Antonium facem illam imperii Romani, & pessimum Cæsaris in invadenda tyrannide satellitem corrupit. Is enim sanctè primùm educatus est à Julia matre, virtutis & pudicitiæ laude eo seculo nulli Romanorum secunda. Sed postquam Curionis familiaritate & consuetudine uti cœpit, tanquam pestilentis sideris afflatu combustus est. Ab hoc enim à virtutis studio ad voluptates abductus, obsonare, scortari bona fide, æs alienum ingens conflare didicit. Ab hoc magistro idem ad Clodium, à Clodio ad Gabinium, inde ad Cæsarem emissus est: quo à conjuratis in curia oppresso, triumvir primùm, deinde duumvir, tanta reip. vulnera, tot clades intulit, ut alterutrum Romanis fuerit optandum, aut hunc omninò natum non fuisse, aut non dedisse se in disciplinam Curioni. Multa hujus generis alia, judices, arguere poteram; sed ne diutius abutar vestra patientia, non est omittendum insigne perfidiæ crimen, quod is adversus Magnum illum Pompejum, ac per latus Magni in ipsam Rempub. commisit. Gliscente enim inter hunc & Cæsarem dissidio, cùm ab initio Pompeji caussam, quæ cum republica conjuncta videbatur, defendisset: mox largitione cor-

corruptus optimates deseruit, ac dignitatem Senatus, libertatem plebis, salutem denique civium Cæsari nefariè prodidit. Qua in re ille si suo quodam judicio usus esset, aut dissensione civili exorta, antequam ad arma deveniatur, meliori parti, simul ac classicum cecinerit, firmiori adhærendum censuisset, utcunque ignosci posset: fecit enim idem M. Cœlius, fecerunt alii, melius id statuentes, quod tutius erat, cum in Pompeji castris speciosa, in Cæsaris exercitu valida omnia atque ad vim instructa viderent. Nihil horum Curio obtendere poterat: antequam Cæsar Rubiconem transisset, cum adhuc sententiis in Senatu, non armis in campo certaretur, cum ante amicus Pompejo, inimicus Cęsari fuisset, atque illius beneficio Tribunus plebis factus esset, violato amicitiæ jurè, pro summo beneficio injuriam maximam rependit, potestate quam accepit in auctorem abusus. O hominem impurum atque ingratum! Usque adeò te nec sacrosancta amicitiæ jura, nec fides reip. debita, nec religio jurisjurandi quo populo obstrictus eras, permovere potuerunt, ut hæc omnia largitionibus & promissis Cæsaris posthaberes. At videte, quæso judices,

os hominis & insignem perfidiam: non enim vulgariter improbus fuit, sed artem adhibuit ad fallendum. Corruptus jam à tyranno diu id dissimulavit: cum inimicis ejus ut inimicus egit: nec solùm in conviviis & circulis hominem insectatus est, verùm etiam pro rostris multa graviter in ambitionem ejus & audaciam dixit. Quare illud consecutus est, ut non modò alios falleret, sed & intimos Pompeji sensus, & recondita optimatum consilia penetraret. Quę cum satis jam perspexisse sibi videretur, colorem transeundi ad Cæsarem & prætextum quærens, multas iniquissimas rogationes adversus Senatum tulit: quæ cum repudiarentur, tanquam injuria provocatus, in Galliam ad magistrum suum confugit. Ehem, hic ille, judices, Curio est, de quo patronus ejus dicere possit. Ignoscite judices! erravit: lapsus est: si unquam posthac. Hic ille est; cujus culpa, non dolo malo perpetratum crimen dicas. Quasi verò culpa simplex sit, ludos facere tam præsenti periculo spectatorum; Quasi leve peccatum sit ambitioni tuæ plebis commoda, gloriæ salutem populi posthabere. Nihil profectò nobis Catone opus est, nihil Cassio judice: vel Bulbus aliquis aut Gutta tabellam sumat: faxo pudeat hominem

nem in tam manifesto crimine hęrentem legibus eripere. Non enim semper pretio cera venit: est quædam ita perspicua veritas, ut ipsi illi, qui aut numos accipere, aut noctes pacisci solent, erubescant absolvere tabulis, testibus, argumentis convictos. Verum enim verò, videor adhuc nescio quos oggannientes audire, frustra in eum me concionari, qui dignum vita & moribus exitum jam olim sortitus sit. Missum enim à Cæsare in Africam, superveniente Juba rege cæsum esse, eademque clade & naturæ & reipublicæ satisfecisse. His ego ita respondeo: alia quidem crimina morte extingui: ejus verò qui securitatem populi læserit, memoriam etiam post mortem damnandam. Ita enim fiet, ut qui præsentię fiducia judiciorum expectationem eludere solent, hi ipsis rerum experimentis cognoscant, nullas esse tantas opes, nullam potentiam, ac ne temporis quidem præscriptionem ullam, quæ ipsos à futuri ævi censura defendere atque tueri possit. Atque ut nihil aliud consequamur, saltem pudorem seculo injecisse videbimur, in quo tot Catilinas, tot Clodios, tantum Gabiniorum & Curionum grassari videmus; quorum alii veterem civitatis disciplinam luxu solvunt; alii sa-

re, atque in cervicem puellæ invadere: nec majori mole Britannos in Oceano, atque ficedulas in jure mergi. Longè tamen illi deteriores, qui miseram plebem pravis de Deo opinionibus imbuunt, solutamque omni sacrorum reverentia, aut numen non esse, aut humana non curare, aut quavis hostia litari posse dictitant. Eadem, inquiunt, spectamus astra; commune cœlum est; idem nos mundus involvit. Quid interest, qua quis prudentia verum inquirat. Cur angustissimis finibus coërceamus immensum sapientiæ pelagus? uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Hi quid aliud, quam Curionem imitantur? populum salutis cupidum collocant in instabili cavea: unde fluctuans de vitæ extremis, modò meritorum fiducia tumet: modò scelerum conscius ad sacrificia & indulgentias aspicit: postremò damnatis vadibus, terram simul & cœlum desperat. In republ. verò quantum Curionum est, qui populum æstuantem manu potius, quàm certo jure gubernari malunt. Vident enim leges suis obstare cupiditatibus, neque pati, ut civibus versatili machina inclusis, ipsi pro libitu & avertant scenas, & convertant. Itaque siqua

nè periimus, dum adhuc aliqua nobis est respubl. nec omninò decoxit parta à majoribus virtutis gloria, insurgamus ultore calculo, ac Curiones istos, qui remp. simul & sacra omnia eunt perditum, ultra Sauromatas & Garamantas exterminemus. Sic Cato, sic Catulus, sic Cicero censent, pedibusque in eorum sententiam eunt, quicunque boni cives esse, quàm videri malunt. Faxit Deus Opt. Max. ut vos quoque, judices, quæ ex usu reip. sunt, ea concordibus suffragiis rata atque sancta esse jubeatis.



ANTO-

ANTONII MATTHÆI

ORATIO XVII.

CONTRA

JUS PATRONATUS.

Recitata XVII. Kal. Maji, Anni M. DC. LIV.

Cum JACOBO Vanden HELM,

Summos Iuris Vtriusque honores conferret.

IUs nostrum civile multos quidem obtrectatores habet; nescio tamen an ulli impensius inviderint, quam Pontifices Romani. His enim cum certum atque judicatum esset, excusso Cæsarum imperio, tyrannidem orbis Christiani invadere, non solum potestati eorum per calumniam obtrectarunt, verum etiam in jure constituendo æquitatem passim suggillarunt: tantumque valuit cura quædam & ars nocendi, ut non modo pauca animadversione digna notarint, sed & multa æquissime constituta

tuta incesto stylo corruperint. Utque solet odium ubi semel inflammatum est, in præceps ruere: ita Præsules illi dum nihil antiquius habent quam Imperatores pessundare, eo invidiæ atque furoris progressi sunt, ut minuta quædam sectantes alia majoris momenti prætererint, & quod minimè ferendum erat, autoritatis suæ præscriptione corroboraverint. Hujus rei plurima quidem specimina adduci possent, sed quia neque præsens institutum, neque temporis angustia patitur, ut omnia persequamur; in præsentiarum sufficiet nobis patronatus jus: non illud, quo ex communi gentium consensu dominus in servum manumissum utebatur, sed quod contrario prorsus modo ac more ingrati liberti in patronum exercent. Hoc jus, sive potius, hanc contra naturam injuriam, tantum abest, ut coërcuerint Pontifices Romani, ut etiam multis rescriptis confirmarint, & emissam carceribus latius grassari siverint. Cum enim Imp. Justinianus novissima constitutione ad Mennam Patriarcham sanxisset, ut siquis proseucham seu oratorium ædificasset, aut ministrantibus ecclesiæ alimenta annua constituisset, non quidem ordina-

ordinare, præsentare tamen clericos posset, ab episcopo, si dignos repererit ordinandos: Pontifices aucta injuria non solum minores clericos, sed ipsos quoque episcopos ex hac causa præsentari permiserunt. Qua re quantum pietati, quantum libertati ecclesiarum detractum sit, dici vix satis dignè potest, meritòque dolendum eos, qui omnibus penè paginis de tunica Christi rixantur, hanc tantam ejusdem intertrituram tam facile dissimulasse. Verum non recesserunt illi ab ingenio & institutis suis, quibus non tam Christi, quam tunica sua curæ est: nisi enim hæc ecclesiæ servitus emolumento eis fuisset, nunquam profecto adduci potuissent, ut eam plumbeo illo piscatoris annulo obsignarent. Nam qui septem testes in testamentis non ferunt, qui pubertatem malitia non annis æstimari volunt, qui præscriptionem nullam absque jugi bona fide procedere sanxerunt, qui testimonium laici in clericum repudiarunt, hi scilicet paterentur clericos à laicis nominari, si non illa nominatio pulchrè eis proveniret. Itaque nimio verum experimur illud sapientis: *Ad meredem pii sumus, ad mercedem impii.* Honesta quandiu aliqua illis spes inest, sequimur; in contrarium transituri,

ri, si plus scelera promittant. Jupiter ille Romanus, quantas iras gerit, quæ non fulmina minatur, cum in discrimen aliquod, seu capitis, seu ventris vocatur. Idem ille quàm leni, quàm remisso animo injurias ecclesiæ ferre solet, quoties plus lucri servitus, quam libertas ejusdem promittit. Verum ne præpostera oratione insatiabilis aulæ sordes ante damnasse, quam causam nostram probasse videamur, agite auditores, paucis ostendamus, quam jus illud præsentandi, & literis sacris, & apostolorum institutis, & liberta- ti ecclesiarum adversum atque inimicum sit: quo patefacto sua sponte elucescet, quid aut de Justiniani constitutione, aut Pontificum decretis sit judicandum. Ac literarum quidem sacrarum autoritas inprimis exigitur: laudanda enim fides, quę ante discere cupit, quod creditura est. In eo tamen blanditur sibi humana calliditas, quod ubi aliquid de voluptate aut commodis suis metuit amittere, nominatim & significanter id sibi velit ostendi. Non occides, non mœchaberis, non idolum coles; hæc, inquiunt, apertè in sacris prohibita sunt: non præsentabis ministrũ ecclesiæ vacanti, nusquam nominatim interdictum deprehenditur. Næ illi non tam sacrorum interpretes, quam aucupes qui-

quidã ſyllabarũ ſunt! qui diſſimulant verbum, *Ex legibus*, ita accipiendum, ut non ſolum orationem, ſed vel inprimis mentẽ & ſententiam legum ſpectare jubeamur. Quid enim cũ ſacra pagina à regno ſacerdotiũ ſeparat, nonne hanc mẽtẽ atq; ſententiã legiſlatoris deprehẽdimus, ut neq; regno ſacerdotes neque ſacerdotio reges intercedere voluerit. Diſſimulari ſcilicet poteſt Aaronis crimen qui infula non cõtentus & Moyſi convitiũ fecit, & populũ à Deo deficientẽ converſis agminibus in Ægyptũ reducere voluit. Diſſimulari poteſt regis Uſſiæ pœna, qui ſceptro nõ contẽtus pedũ quoq; invadere, Deoque thus adolere auſus, pretiũ temeritatis lepram incurabilẽ abſtulit. Nonne triſte ſupplicium documento eſt, non eſſe cujuſvis intercedere apud Deum pro populo. Suam ille ſibi peculiarem tribum, atque ex ipſa illa tribu familiam operãdis ſacris legerat. Quod ſi intercedere non eſt cujuſvis hominis, ne nominare quidem interceſſorẽ cujuſvis erit, quandoquidem ipſa laudatio ſpeciem quandã interceſſionis continet. Periculum ſane nominatoris eſt, ſi forte laudaverit indignũ. Quod ſi dignũ, quoniam hunc inſtitui neceſſe eſt, quantulum abeſt, quo minus ipſe inſtituiſſe, atq; ordinaſſe videare? Ut enim in rep. ſi forte
cen-

centumviri nominandi, tresviri eligendi habeant poteſtatẽ; penes utroſq; non penes alteros ſolos creatio magiſtratuũ eſſe dicitur: ita etiam in eccleſia, ſi penes patronũ nominãdi, penes epiſcopũ probãdi ſit facultas, penes utrumq; quodammodo ſacrorũ comitiorum poteſtas erit. Tanto certè magis, quanto minor eligendi libertas, nominato uno. Id autẽ qua fronte privati uſurpẽt, cũm ab eo reges & primores populi abſtinuerint, viderint, qui defendunt. In ſumtũ tabernaculi multi cõtulerant multa: devictis Midianitis legati, tribuni, ac centuriones legionũ non modicam prædæ partem conſecrarant Deo: in templum porro & ſacrificiorũ apparatũ, quantam auri, argenti, æris, marmorum vim congeſſere Salomon rex, ejusq; pater David: Ecquis unquam inventus, qui pro ea liberalitate ſibi hæredibuſque ſuis jus præſentandi ſtipulari ſuſtineret? Nunc qui fundum forte, aut aream cum ſuperficie dederit, aut decumas aliquas aſſignarit, is pro eo munere patronus eccleſię audiet, & libertatem fidelis cœtus prærogativa ſuffragii ſui onerabit? Non donum hoc, ſed viſcus eſt, hamum tegit liberalitas tua, majore cum præda abiturum, quam advenerit. Verum ne quis exiſtimet hæc veteris paginæ ſcita ad ſacerdotium,

dotium, non ad ministerium pertinere, pressius ex novo codice nobis urgendi sunt. Itaque illud dico non minus apostolica atque Mosaica lege definitum esse, & qui, & à quibus & quemadmodum ecclesiæ ministri sint ordinandi: dummodò fateamur, definitionem non solum verba facere, sed & mentem, & exempla, atque instituta eorum, qui divinitus ad colligendas ecclesias missi erant. Et primis quidem renascentis ecclesiæ temporibus episcopos ac presbyteros ab apostolis institutos legimus: ab his porro in locum decedentium alios substitutos: non tamen sine cœtus Christiani suffragiis. Quæ quidem suffragandi potestas ita diu libera atque illibata penes populum Chistianum fuit, ut aliquot à Sotere nato seculis nulla omnino præsentationum mentio reperiatur: ac nescio, an non prima atque antiquissima sit, apertissima sane est, quæ in novellis Imp. Justiniani fit: qui cum seculo restitutæ salutis quinto imperitarit, cum multum jam puritas religionis decoxisset, facile animadverti potest, quid de hac usurpatione sit judicandum. Ac ne in decreto quidem suo alios adversarii adduxerunt auctores, nisi patres Toleti congregatos sub Martino I. cum jam Constantinus III.

Orienti

Orienti pręesset, nec non concilium Romanum Eugenio II. ac Leone IV. institutum, cum jam Franci rerum potirentur, atque ad tyrannidem jam tum grandi gradu grassarentur mitrati. Itaque non centum, non ducenti fuerunt anni, quibus patroni isti ignorabantur: quinto demum & sexto seculo, cum jam omnia in pejus ruerent, nova ac perniciosa nomina audita sunt, pestisque ista præsentandi ecclesias invasit. Quis credat tot seculis neminem fuisse, qui ecclesiam, ut verbis istorum urar, aut fundaret, aut ex reditu prędiorum suorum dotem daret? An nescimus, liberalitatem fere cum orbe senuisse, virtutemque istam adolescentis magis quam deficientis seculi fuisse? Cur ergo cum prisci illi Christiani & amplas dotes dicerent, & omnia bona, ac vitam ipsam Christo impenderent, nemo unquam repertus est, qui pacto convento jus præsentandi sibi reciperet? Num fas est, aliam existimari causam, quam quod pietas eis dictaret, non esse temerè audendum, quod à primis illis ecclesiarum institutis abhorreret. Satius esse, pauperi ecclesiæ suam constare libertatem, quam dotatæ subeundam esse speciem aliquam servitutis. Nam si libertas singulorum res inæstimabilis est, nec regno Persarum

rum mutatur: quanti æstimabimus libertatem ecclesiæ, quam sponsæ honore Deus dignatur, quam perinde ac pupillam oculi sui tuetur; cujus causa reges castigat, ac tyrannos æterno exitio mactat. Scilicet, huic tu herediolum aliquod, vel reditum, vel decumas pretium ponas, tibi illa pro dote serviat, quam liberali manu Christus asseruit: pro cujus capite non æs, non aurum solvit, sed pretiosum sanguinem suum in cruce profudit. Habemus igitur, auditores, præjudicia apostolorum: dederunt exemplum judicaturis quod sequantur proximi apostolis viri pietate, religione, ac fide in Deum probati: aureis istis seculis, quæ catinis ligneis non pudebat administrare sacramenta. Et sunt adhuc lignei sacerdotes, qui ut aureis vasis ministrent, audent dotes captare,& prȩsentationes defendere. Quasi vero à deterioribus, ac non à probatissimis oporteat exempla sumi, ne quod aliud confirmare debeat, egeat ipsum confirmationis. Statuas facturus non tyrones consulit, non artificis pueros sectatur; sed ipsum Lysippum adit, Myronis, Praxitelis, Polycleti opera considerat: dotem vero ecclesiæ dicturus stupeat ad canones Martini, nec quid principes veteris ecclesiæ, sed quid Leo aliquis, aut Sylvester,

ſter, aut Malifacius decreverint, ſpectet. Atqui ſiquid illis auctoribus reverentiæ deberetur, fecit tamen decretorum repugnãtia, ut in hac cauſa nihil omnino ſit deferendũ. Quam pulchrè enim ſibi conſtãt rigidi iſti juris civilis cenſores! quanta eorum in decernendo conſtantia, quæ autẽ perſpicacia! qui cum Simoniã multis ſanctionibus ferierint, cõdemnaverint, proſcripſerint, hanc tamen Simonię ſpeciem perfricta fronte tueri audent. Quid enim Simonia? Nihil ſanè hic opus noſtra definitione: adverſæ factionis verbis tam deteſtandum crimen arguemus. Simonia, inquiunt, eſt rei ſpiritualis, vel ſpirituali annexę cum aliqua temporali facta commutatio. Contrahitur enim, inquiũt, quoties quis ſacra quodammodo in commercium deducit. Itaque epiſcopus pro ordinatione, & miniſter pro voce, & notarius pro ſtylo aliquid capientes, haut dubiè in hunc reatum incidunt. Sed & qui pro electione prę mia largitur, perinde illis Simoniacus habetur, ac ſi pro conſecratione munera accepiſſet, quoniam per electionem ad conſecrationem pervenitur. Simon deniq; magus, qui primus huic ſceleri nomẽ dedit, idcirco notatus eſt, quod commutationem quãdam donorum ſpiritualium cum pecuniis inſtituere voluiſ-

 ſet

ſet. Dicite nunc Pontifices, qua via, quove defenſionis commento hanc accuſationem effugituri ſint, qui jus præſentádi fundo, decumiſve agrorum mutant? Nonne ut veſtra oratione utar, per præſentationem ad acceptationem, ab hac porro ad conſecrationẽ pervenitur? Quid? libertas eccleſiæ in eligendis atque ordinandis miniſtris, nonne res ſacra eſt? Atqui hæc in commutationem quandam deducitur, cũ pro dote pars non exilis patrono mancipatur. Jam tabellionis ſtylus nihil ſanè ſacri habet, mercenaria manus, tametſi fortè ſanctiſſima Dei oracula deſcribat, externis tamen literarum figuris occupatur, quas argutus calamus, quo celerius pingit, eo facilius librarii laudem, non religioſi gloriam aſſequitur. Si igitur Simoniam committit tabellio, quãto magis patronus, qui præſentandi jus pretio præſtinat, & epiſcopus, qui id quod nullius in bonis eſt, perinde ac fundum aut veſtem, aut ſuppellectilis aliquid per æs & libram mancipat! Sed eſto! non ſit res ſacra præſentare clericum! quanquã eſt etiam ſola quodammodo oblatio ſacra, attamen ipſi fatemini eſſe rẽ ſpirituali annexam. *Unde* neceſſe eſt, non tantum Simoniacos eſſe, qui id jus emunt ac vendunt, ſed & ipſos Pontifices, qui patiuntur iſtos præ-

ſen-

ſentationum mercatores, nec injecto fulminis ſui terrore eoſdem emendant. Hoc ſanè, auditores, ita planum ac perſpicuum eſt, ut quanquam ſint illi exercitatiſſimi prẹſcriptionum fabricandarum magiſtri, nullâ tamē exceptione elidi aut declinari poſſit. Ac vel ex hoc ſolo apparet, non minus verè, quam falsè quoſdam dixiſſe, *tametſi inter juris Pontificii rubricas cocco etiam minio ve fulgeat de Simonia titulus, uſum tamen ejuſdem ab aula receſſiſſe.* Hactenus igitur demōſtravimus, neque ſacris literis, neque apoſtolicis inſtitutis, ac ne ipſorum quidem Pontificū decretis jus patronatus convenire: enumeremus nunc incōmoda, quæ & quanta ex iſto Pandoræ vaſculo ad eccleſiam redundare ſoleant. Primùm quidem, dum deliberat patronus, dum cum eligentibus diſputat, dignus an indignus laudatus ſit, dum certant inter ſe aut plures patroni, aut ipſi illi, qui nominati ſunt; quot dies, ah quid dies queror? quot menſes, quot anni elabuntur, antequā calculos in urnam jndex mittat? ubi exierint, protinus nova acies, novum prẹlii diſcrimen ſubeundum, ſententia judicantis appellatione forte ſuſpenſa. Interim oves neglectæ aut ſuis cupiditatibus irretiuntur, aut grato hoſtibus ſpectaculo lupis in prẹdam cedūt: quæ ſi gregi ſua conſtaret libertas,

dato ſine mora cuſtode, neque vim in ſe ullam metuerent, neque in inſidias facile præcipitarent? ambroſiá autem, ac nectare divini verbi, non interpellatis menſis jugiter replerentur. Tum auté quam grave eſt, quam nullo modo ferendum, ſervitutem hanc eccleſię fundo magis, quam perſonæ cohærere, ac cum univerſitate bonorum in heredes patroni tranſire! Itaque qua in adverſis ſpe ſinguli ſuſtétare ſe ſolent: Non ſi malè nunc, & olim ſic erit: ea ſpes eccleſiæ prorſus præciſa eſt. Moritur patronus: quid ſperent fideles? præſto eſt illicò hæres, non ſolum ille legitimus, cui & natura, & ſanguinis, atque ſacrorum communio hęreditatem addicit: ſed extraneus, quem ſtulto fortè judicio ſupremis tabulis teſtator ſibi nuncuparit. Atqui nullum hæreditariú munus eccleſia agnoſcit: non epiſcopi dignitas, non presbyteri honor, non diaconi ratio, non lectoris liber, nó oſtiarii clavis in ſucceſſorem bonorum tranſit: & tranſibit prærogativa illa præſentandi? Quid igitur futurum cenſes, ſi patrono ſtultus hæres natus ſit? ſi ferox admodum, & barbara immanitate præditus? nonne vehemẽter miſerum, cum iſtac bellua oviculis Chriſti eſſe confligandum? De heredibus porro qui ſcrupuli! quã anxiæ diſputationes!
legi-

legitimine dũtaxat liberi, an & nothi præsentare possint? integri, an & manci, & mutili, & herniosi, quandoquidem hos ab altari lex Mosaica arcet? Et quid si legitimi quidem liberi, sed à patre exheredati sint: utrum bona duntaxat, an & nomen patroni perdant? Quid si necdum perfectæ ætatis sint, utrum sine tutoris auctoritate, an non nisi cum ejusdem consensu præsentare possint? Porro autem si patronus forte testamento facto plures heredũ gradus fecerit, atque aliis hereditatem ex causa fideicommissi restitui jusserit, nova disputationis materia nascitur, penes heredẽ jus præsentandi maneat, an transeat in fideicommissarium? Sed majore discrimine de uxore pugnatur, cui maritus usumfructum omnium bonorum reliquit, an in fructu præsentandi quoque facultas sit computanda? Quod quidem plerique adfirmant, sed & pravo consilio, & eventu ecclesię vehementer pernicioso. Nam præter fragilitatem sexus, nonne gravissimum hoc est, fœminam, cui in cœtu fidelium ne loqui quidem fas est, præsentare ecclesiæ pastorem, & publicè sapere, quæ privatim vix sapit, domestici doctoris ope atq; consilio sublevanda? Nec lætior exitus, si fœmina patrona nupserit, maritoque bona sua in dotem dederit, in

dote jus patroni numerari. Quid enim, si forte hæretico, aut apostatæ nupserit, aut Epicuri de grege porco? Nominabit ille, credo, dignissimum quemque, ac non potius lupum aliquē summittit, vellere ovis tectum, aut sui gregis porcellum, cui venter pro Deo sit, qui cantharum pro codice sacro tractet, pro hymnis hymenęum, pro psalmis Fescennina cātitet. Quantam ille ovibus suis scabiem, quantam porriginē toti cætui affricabit? In triclinio primus, in proseucha postremus: segnis ad preces, strenuus ad pocula: expers fraterni amoris, sed pronus ac promtus in sorores. Hæc scilicet ille vitia solus possidebit, nec admittet in consortiū libidinis, creditos suæ curæ? Quasi non plures ad exēpla vivant, & cōsuetudine potius abducantur, quam ratione. Itaque si recte olim Plato: *ubi senes minus pudici sunt, ibi juvenes impudentissimos esse necesse est*: quid futurum, si pastor forte impudicus sit, nonne oves impudicissimas fieri necesse est? efficacissimum enim exemplum est, quoties is unde sumitur, religionis opinione ac reverentia est munitus. Tum sane, licet mare cœlo misceas, non ante sanctis vivetur moribus, quàm sanctitatem vitæ præstent magistri morum. Verùm enimverò, dicet aliquis, frustra nos hæc pręsentationum objectare

re incommoda, cum vitium nominationis emendare ecclesia possit, nec laudatũ suscipere teneatur, nisi mores, vitam, eruditionem omnibus approbarit. Si igitur hæreticus, si moribus inhonestus sit, aliũ eundemque probum ab episcopis substituendum. Quasi vero decipi non possit eligentium sollicitudo tegente scelus hominis vultu! Et princeps tenebrarum angelum lucis mentitur, niveæque candor stolæ incautos decipit arbitros. Ut autem noti sint hominis mores, ac tota pelluceat præsentati hypocrisis, quis nescit, quàm iniqua plerunque sit ecclesiæ cum validiore patrono concertatio. Alii potentię metu, alii promissorum spe, alii sua credulitate impulsi de sententia decedunt: sunt etiam quos tenuitatis conscientia fortiter inceptum urgere vetat: non enim audent omnia homines pertusa lęna. Postremò, adeo validus ambitus est, tam efficaces divisoris preces, ut & devotionem fidelium, & zelum martyrum, & pietatem confessorum numero suffragiorum facile vincat. Fuit quondam id crimen sæculi: nunc commune factum est seculo & ecclesiæ; nec ullus tam sanctus cœtus est, quem non possint adstipulatorum sordes contaminare. Quorum improbitati ut obviam eatur, frustra legis au-

xilium implores: ipsa enim quæ auxiliari debebat, vi, ambitu, pecunia turbatur. Longè rectius vindicias secundum libertatem dederis, ut neque divites fraus, neque pauperes metus, neque cupidos spes, neque imperitos credulitas à recta sententia dimovere possit. Etenim omnia quæ hactenus enumeravimus mala, ex isto pestilenti fonte manant, quod in bonis & patrimonio nostro Pontifices jus patronatus censeri permiserunt. Huic igitur fonti intercidenda vena est: hic ductus mortiferæ aquæ strangulandus, ne toties cum patrono, cum heredibus patroni, marito, uxore sit confligandum. Quanquam quid heredibus, marito, uxori convitium facimus? creditores potius accusemus, qui patrono latitante in possessionem bonorum missi, & ipsi ecclesiæ litem movent, ac per curatorem bonis datum præsentare volunt. Quinetiam eo pravitatis deventum est, ut in pœnæ partem nominatio cedat. Nam si vasallus forte feudo cadat, cui jus præsentandi adhærescit, in dominum cum fundo feudali transibit. Et si investitura non petita dominus manum injecerit in prædia, donec satisfiat, ipse prærogativa nominationis gaudebit. Postremò si forte capital admiserit patronus, & bona ejus in fiscum redigantur,

tur, jam fiscus in locum ejus succedet. O miseram ecclesiam, cui cum fisco sit litigandum. Quis enim durior, quis potentior fisco adversarius est, cujus mala causa nũquam habetur, nisi sub bono principe. Audebit nimirum cœtus aliquis in agro fisco contradicere, cujus executores perinde ac milvios, omnia mapalia, omnes villæ tremunt. Incrementum autem malorum, ut si forte fiscus reditus suos posita hasta locaverit, jam publicanus patroni titulo superbiat, quandoquidem multis placuit, etiam in conductorem jus hoc præsentandi transire. Publicanum igitur ecclesia patronũ habebit? Patronus ecclesiæ erit publicanus? quàm gravis, quãiniquus, quam invisus simul atque infensus! Pastorem ecclesiæ redemtor dabit, quem sacra pagina peccatoribus adjungere solet: quo de ipsi quoq; Romani dixere: *Vbicunque publicanus, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatẽ sociis nullam esse.* Nonne ad extremum jam malorum deventum est, an aliquid amplius memorari potest, quod ad cumulum istum miseriarum accedat? Etiam: non enim cum universitate duntaxat bonorum transibit præsentandi jus in liberos, in heredes, in conjugem, in creditores & fiscum, sed & in singularem successorem, accedente episcopi consensu. Igitur si le-

gatum si fideicommissum, si donatio, seu inter vivos seu mortis causa, si venditio, ac permutatio celebratæ fuerint, episcopo dispensante, efficient ecclesiæ patronum. O rem vehementer indignam! O Simoniam impiam àtque detestandam. Quisquis es licitator, qui ad infelicem hastam properas, non times, si minus religionis vim & ecclesiæ suspiria, at certè Dei immortalis ultionem. Tu autem episcope, qui custos & conservator ecclesiæ clues tu hastam ponere, tu pretium legitimis tabellis obsignare ausis? Atqui ne fisci quidem procuratori decidere aliquid de commodis ærarii licet, & licebit Præsuli de commodis ecclesiæ? Nefas est principi minuere reipublicæ jura: & fas erit pastori accidere gregis jura? Nescis nimirum emtor, hanc rem extra commercium, ac nullis in bonis esse? tu autem venditor, non dominum te ecclesiæ, sed ministrum, non herum rerum divinarum, sed dispensatorem duntaxat esse. Væ isti atriensi, qui absente domino bibit, comest, heluatur, gravis est familiæ, injurius in conservos! Momento temporis securum sui vindicta opprimet, ac reliquatorem istum æterno exitio damnabit. Quare cum jus hoc patronatus neque sacris literis, neque institutis primitivæ


eccle-

ecclesiæ conveniat: cum incidat in detestandum Simoniæ crimen, turpemque sacrorum cum profanis commutationem contineat; cum denique infinitæ inde lites, ac plurima ecclesiarum incommoda nascantur; quid restat aliud, auditores, nisi ut hanc usurpationem magis, quàm jus ac potestatem, summota omni temporis præscriptione, primùm quidem ex animis nostris, tum etiam ex provinciis exterminemus. Non enim fas est, aut mortales adversus Deum immortalem, aut privatos adversus publica commoda præscribere velle. Neque metuendum, ne damnato hoc monstro nemo in posterum fundare, nemo dotare ecclesiam velit. Gratuita enim ac liberalis pietas est, nec mercedem largitionis expectat in Christum amor: quippe, qui sciat, longè majorem sibi mercedem in cœlis repositam, nec pulchrius fœnerari pecunias, quàm quæ sunt indigentibus locatæ. Quanquam quid opus hac formidine? satis jam lautum ecclesiæ patrimonium est; utinam hæc ipsa quæ habet bona, sanctus semper administret œconomus, nec majorem partem rapiant aquilæ & accipitres, ac siqua alia avidior prædæ ales est. Nunc ferè pro episcopo comestor, pro pastore leno, pro diacono

concubina alitur, decumamq; pauperum otiosi ventres condunt. Quo magis metuendum, ne tandem aliquando expergefiat dominus, tanquam fortis de vino, ac sacrilegos bonorum suorum vindicet, non Julia, sed sua ac horrendi carminis lege, quæ non tantum temporale exitium, sed & æternum sceleratis minatur. Persequitur enim ultor oculus peccatorem, celeremque cognitionem præsens supplicium expectat: quo nisi sponte cupimus perire, & alia multa sunt nobis emendanda, & summotis patronis in libertatem ecclesia est vindicanda. Postremò, nisi & Deo dederimus, quæ Dei sunt & Cæsari, quæ Cæsaris, non est quod deprecatorem nobis paremus. Odit ille furis moram, nec inultam finit prædonis tergiversationem: Quare, ut Prophetæ verbis desinam, ascendamus celeriter montem Libanum, ac cæsis cedris domum domini instauremus. Ita demum & ecclesias habituri sumus florentes, & hostium securi summa reipublicæ tranquillitate fruemur.

D I X I.





ANTONII MATTHÆI POËMA INAUGURALE,

Honori

Amplißimi Ordinis Senatorii in Inclyta civitate Vltrajectina,

Ob Dedicatam Bonis Auspiciis Illustrem Academiam.

Qvanquam multiplici distractũ Astræa labore
Sevocat à Musis, & pro Permesside lymphâ,
Assiduum versat Masuri prudentia pectus,
Raraque placato nascuntur carmina Phœbo:
Pauca tamen patriæ proceres, Sanctique Senatus
Culmina, patricio quos nunc beat aurea clavo,
Aurea divisi Trajectum gloria Rheni,
Vobis pauca canam; sed quæ legat arbiter æquâ
Mente, nec ad leges morosæ ponderet artis:
Quandoquidem [illegible] a procul ambitione remotum,

Difficiles numeros, tardamque lacessere venam
Vester honos, annique decus, seclique coëgit.
Orbem jam totum nostra compleverat urbe
Fama; ferebantur niveis sublimia pennis,
Qua mare, qua tellus, cœlum quacunque pateret,
Cum prisca virtutis honos, populique Batavi
Gloria: tum nova gens, provitaque æmula laudis
Posteritas, purum quæ nunc bibit ultima Rhenum,
Virtutisque decus tantum natalibus æquat,
Iudicio vix, ut possis discernere recto,
Plus veteri nostrum, nostro plus debeat ævum
Antiquum: usque adeò dubiis contenditur armis,
Anxiaque incerto restat victoria Marte.
Nec minus insigni celebrabat carmine rumor
Ampla per excultos pomœria condita fines,
Magnificique operis muros; quos advena longis
Emensus gradibus vallum, fossasque, minantesque
In cœlum turres, & tot sacraria Divum
Suspexit, famamque ipsis concedere rebus
Obstupuit patriis è sedibus excitus hospes.
Quid memorem telluris opes, magnasque beati
Delicias ruris? fundos, prætoria, villas,

Pascua,

Pascua, & irriguos undis fluvialibus hortos?
Vt lascivirent saturi per prata juvenci,
Grandia distenta dum præbent ubera vaccæ,
Omnis uti latis turgeret fœtibus arbor,
Pomaque felices curvarent mitia ramos.
Nil aliud tantæ deerat cultoribus urbis,
Nil votis hominum, vitæque ex asse beatæ,
Quam sophiæ studia, & condignæ civibus artes,
Queis cœlo fruimur, queis Diis conjungimur ipsis,
Atque capax docto succincti pectus honesto
Aurea securæ componimus otia pacis.
Non tulit ulterius damnum tam grande senatus,
Consultoque patrum, quo non præstantius ullum
Imbuerant aures doctæ, prælustre Lyceum
Conditur ominibus faustis, atque augure læto.
Res memoranda! situ squalentia tecta pudendo
Lustrat, & antiquo rursum donata nitere
Dedicat illatis procerum clementia Musis:
Vestigatque viros, quorum præcordia Titan
De meliore luto finxit; qui pectore puro
Quas capiunt artes, & quæ præcepta, rotundo
Possent ore loqui, facilique evolvere sensu

Historias,

Historias, criticen, leges, inventa sophorum,
Quæque sacræ nobis pangunt oracula chartæ.
Ne tamen ingrato vires, animique labore
Conciderent, sterilesve darent decreta palæstras,
Additus est census, quo se facunda senectus,
Hæredesque suos, tunc cum decoxerit ardor
Ille styli patiens, intempestæque lucernæ,
Lactet & insani contemnat vota popelli.
O formose dies! o lux insignis, & hora!
Quæ tulit hæc nobis suffragia; quæque subinde
Festa coronatis stabant anabathra tigillis,
Velarent cum picta novas aulæa cathedras,
Audirentque suos procerum subsellia mystas.
Quid potuit plebi majus præstare Senatus?
Quidve pater patriæ? quid nutrix majus alumnis?
Quàm fari, & sapere, & pravo discernere rectum,
Et cuivis dare posse suum, pulsisque tenebris
Pectoris, erectas ad sydera tollere mentes?
Hoc optandum unũ est! hæc sunt dignissima magno
Vota Deo! faciunt cives hæc sola beatos!
Imperio tumeant alii, quos Martia virtus
Terrarum dominos, quæ sunt à Gadibus usque

Ad

Ad Gangen facit: at cedunt fera prælia Musis,
Cedunt arma togæ; virtusque est tanta tribuni,
Tanta ducis, quantam volet esse oratio: famam
Sola dat. obscuro periisses inclute fato
Æacide, doctus nisi te servasset Homerus:
Quo tanto minor est, quanto tibi plura Poëta
Imputat, & vitam donat post funera factis.
Pars bona divitias, & magnam laudet opum vim,
Pascuaque & milvos intra sua prædia lassos:
Hi bona summa putent terras habitasse feraces,
Credita quæ reddunt magno cum fœnore lætis
Agricolis: ubi sit formosum littus, amœni
Secessus, & rura oculis gratissima nostris:
Sistat ubi fessus statio tutissima puppes,
Ingentemque beet peregrinis mercibus urbem
Decolor eois veniens mercator ab Indis.
Ecquid habes, nostris quod scæva negaverit oris
Natura, aut melius natura numen? abesse
Quid quereris votis? toto pulcherrima tractu
Nostra cluet regio, placidique tepentibus auris
Corpora demulcent Zephyri; nec lætior usquam
Annus, & assiduis semper spes certa colonis.

Mille

Mille capit Rhenus naves, multasque secundo,
Adverso multas summittit flumine merces;
Nec metuit scopulos, aut sævam nauta charybdin,
Qui piger in molli figit retinacula ripâ.
Laudet Roma suas infami littore Bajas,
Garrula Thessaliæ collaudet Græcia tempe,
Aut urbes Asiæ cœli regionibus æquet:
Nil habet ad nostrum Danaorum fabula sensum
Incluta famosi quod vincat mœnia Rheni:
Noster ager Bajis longè præluceat amœnis,
Et superant Latias pinguissima jugera glebas;
Siqua solent aliis cœlestia numina terris
Singula largiri, parcâque ostendere dextrâ:
Cuncta Deus nobis confert, ac prodiga pleno
Effundit natura sinu, metuensque novercæ
Nomen, inexhausto justos alit ubere natos.
His superadde decus Musarum, & Pallados artes,
Historiam veterem atque novam, civilia jura,
Et quæ divinus reserat mysteria codex:
Queis evecta bonis res publica sydera tangit,
Sublimisque alias tantum nunc despicit urbes,
Quantum parva solent alta virgulta cupressi.

Nec

Nec tamen his potuit virtus invicta Senatus
Includi metis; sed aperto libera campo
Grassata est per iter laudis, dum turpe putavit,
Defessos residere animos, ubi gloria cœpto
Desit adhuc operi, & colophonem tecta requirunt.
Restabant fasces; deerant academica jura;
Nominaque, & stimuli generosæ mentis honores:
Queis alitur virtus; queis prætextata juventus
Ardens recta cupit, pravæque libidinis expers
Nil plebis, nil vile sapit; sed ad ardua crebris
Impetibus ruit, & Phœbo prævertit Amorem.
Ergò Palatinas orator vadit ad ædes,
Majestas ubi Trajecti, gentisque supremum
Concilium, & sacris habitant diplomata thecis.
Nec mora, cum facili patuisset janua claustro,
Auditæque preces, procerum suffragia princeps
Vir rogat, UTQUE ROGAS, *uno omnes ore reponunt.*
Res miranda! brevi rescripto academia surgit,
Quæque prius modicis, iterum majoribus orta
Auspiciis, sublime caput tantum extulit urbe;
Quantum aurora polo, quantū solet Hesperus undis
Conspicuum quoties jubar extulit. hic licet orbem

Excu-

Excutias, tabulasque omnes, atque acta diurna,
Nil tale invenies usquam! vix credimus ipsi
Tam raptim potuisse scholam succrescere; Phœbem
Desiisse in Phœbum; & nugis, nucibusque relictis,
Quæ modo pupa fuit, robur sumsisse juventæ.
Pugnat enim ratio; sed vincit sensus, & aures
Objicit atque oculos dubitanti: vidimus, inquit,
Vidimus ingenti pompa strepituque per urbem
Ducier, irato frustra livore, locatam.
Quoque magis stupeas, non est sine dote locata,
Tanquam si modicis foret orta parentibus, & quos
Res angusta vetet virtutem extendere censu;
Dii melius! data dos, quam nec Cæsonia quondam,
Nec magno sata Fabricio tulit; his licet ipsam
Adjicias, quæ tunc meruit dotata vocari.
Securos onerum proceres, grandique tributo
Immunes nos esse jubent, & flore Lyæi
Puro illibatoque frui. Secedite vulgus
Invisum, quiqui pretio portoria, ripas,
Et venale forum domina conducitis hasta:
Ius nullum in Musas vobis, non ulla potestas
Vexandi loculos, doctaque peculia turbæ:

O pul-

O pulchra edicti forma! o sententia soldo
Expendenda auro! superant beneficia nostri
Penè fidem secli: nam fines Cantaber hostis
Acri urget bello, & magna suffultus opum vi
Excidium sociis minitatur perfidus oris.
Arma patres contra expediunt, & finibus hostem
Magnis propellunt animis, & sanguine multo.
Interea tamen & Musas, & sacra Minervæ
Impenso curant studio: licet alea Martis
Ærari frangat fiscos, Bellonaque censum
Conturbet; tamen exhaustis propè pullulat arcis
Numus, & in doctos non parcè spargitur usus.
Dii patribus magni dent hostimenta laboris!
Fortem animum, ingenuas vires, corpusq; salubre;
Et serum functis cœlum, tardamque senectam:
Doctus ab integro queis nunc autoribus ordo
Incaluit, viniquepotens, & viribus auctus
Pectoris, ingentes in prælia colligit iras,
Ardentemq; novis studiis illuminat oram. (quet?
Singula quis memoret? quis prosa aut versibus æ-
Quæ situs & sordes, quæ turpis araneus æde
Regnabant; hanc Pallas amat, doctæque sorores
Nunc

Nunc habitant, opici modò qua laquearia mures:
Nunc Themis est, ubi cerdo fuit; nunc præco Galeno
Cedit, & ejectis celebrantur sacra tabernis.
Nec tamen inducto mendicant pulpita vate,
Nec curta sophus in togula laudatur, & alget:
Qui dedit hospitium Musis, dedit æra Senatus
Annua, queis fatui spernant chrysendeta Pluti;
Queis instructa minas fortunæ serior ætas
Rideat, & totos laudet domicœnia menses.
Quem Nasidieni capiat jam squilla beati?
Vina foris sitiens quis sanus captet Opimi?
Cum liceat propriis hornum diffundere vasis.
Hoc operæ pretium est! hæc emolumenta laborum!
Nullus jam parasitus erit, nec limina doctus
Divitis indocti teret; esuriensve Latinus
Conducet foricas, pistrinum, balnea, furnos;
Aut vendet rauca præconis voce libellos
Creditor, ac nudi proscribet frivola Codri.
Parte alia, o mores! o tempora! scurra talento,
Scurra minis gaudet: raudusculа curta sophorum
Præmia sunt: sed & hæc quanto cum murmure
dantur?

Inde

Inde libri miseris, tripodes, toga, calceus, atque
Pulmentum fumusque domi. Sed quantulacunque
Sit merces, tamē hinc decuma est pēdenda, recusas?
Ipse sibi partem decidet Acœnitus acer.
Quid facias? aliquid perdundū, dummodo quæstor
Ne fiet iratus, sexta quod noctis ab hora
Surrexis, quà nemo faber, quà nemo solebat
Surgere, qui tenues percurrit pectine telas.
Æterna mentis non inficianda propago,
Corporis ô nostri comes, & fidissima custos!
Siqua aliunde putas rerum incrementa tuarum
Posse peti, atque ideò nigra loligine chartas
Illinis; hesternos tibi suscitet ocyus ignes
Follis, & infelix urat tua somnia lignum
Nil habet ulterius, quod nobis imputet ævum;
Sed spes, & ratio studiorum est una Senatus,
Et proceres: nunquā dabit histrio, quod dedit ordo.
Ille chori nostri pater est! ille auctor honoris!

FINIS.

Errata sic emendanda.

P.15.6.*lin* 7.sons,fons. *p*.8.*l*.7.dominum,dominium *p*.23 *l*.15.pensantis,pensatis.*l*.16.utilitatem, utilitate.*p*.36 *l* 9 convertit,converterit.*p*.45 *l*.14.istac, ista ac. *p*.48.*l*.26.rax,ferax *p*.50.*l* 7.fago,sago. *p*.94. *l*.11. nullius, nulliusque. *p*.203. *l*.9. vir summi, viri summi. *p*. 113. *l*. 2. nihil summo, nihil in summo. *p*. 143.*l*.11. advenitii, adventitii. *p*.168 *l*.13. virorum, virum.*p*.172.*l*.1.vindicare,vindicari,*p*.179.*l* 21.suamet, suammet, trasire, transire, *p*. 187. *l*. 2. brachii, brabii, *p*.200.*l*.2.Erat,Eat. *p*.203 *l*.16. inulti semper &c. nec inulti.*p*.232.*l*.13. Oceanus, Oceano.*p*.250, *l*.5.timet concussorem &c. nec timet *p*.266. *l*.3. adferrimus,adserimus.*p*.305 *l*.partem, partam. *p*.335. *l* 9.fœrit,fuerit.*p*.344.*l*.3.spoliemus,spoliemur.*p*373 *l*.27.contumacia verò, calliditas, perfidia,contumaciam verò,calliditatem,perfidiam *p*.396.*l*.*ult*.bonos, honos,*p*.409.Idem,Iidem, *p*.420 *l*.2.corpora,corpore *p*.438. *l*.perdere, pendere. *p* 462. *l*.5. summittit, summittet. *p*.466. nullis,nullius.

Reliqua aqui lectores per se facile corrigent.

